2 H eccl
17

97/505
BNAF
£2100

Basilica

[GALLI-BIBIENA]

~~Hist pr
901~~

85/1129/3

1/830

Nro. 19.



F: A: de Leiditenstorff inventor del diſegne.



Jos. et Joan. Klauber Cath. Ser.mi S. R. J. Princ. et Ep. Aug.
Landgr. Haſsiæ Chalcogr. ſculps. Aug. Vind.

BASILICA CAROLINA
OPUS GRANDE,
NON HOMINI, SED DEO PRÆPARATA HABITATIO

PB
Brinckmann

LIB. I. PARALIP. CAP. XXIX. VERS. I.

DUOBUS A CAROLIS
GENUINIS DIVI CAROLI M. POSTERIS,
SERENISSIMIS, POTENTISSIMIS, AC PIENTISSIMIS PRINCIPIBUS, COMITIBUS PALATINIS, ELECTORIBUS, S. R. I. ARCHI-THESAURARIIS, &c. &c. &c.

MANNHEMII PALATINA IN METROPOLI ÆDIFICATA:

A

CAROLO PHILIPPO	CAROLO THEODORO
E DUCALI DOMO NEOBURGICA,	E DUCALI DOMO NEOBURGICO-SOLISBACENSI,
IN DOMINO SANCTE JAM QUIESCENTE,	GLORIOSE ET FELICITER HODIE REGNANTE,
POSITO PRIMO LAPIDE	IMPOSITO SUPREMO FASTIGIO
ANNO MDCC XXXIII.	*ANNO MDCC LVI.*
DIE XII. MARTII	DIE VII. NOVEMBRIS
INCHOATA:	*CONSUMMATA, ORNATA, DOTATA:*

ÆTERNÆ GLORIÆ
SUMMÆ AC DIVINÆ MAJESTATIS,
AD
SACROS RELIGIONIS CATHOLICÆ, MINIMÆQUE SOCIETATIS JESU
PERPETUOS USUS
CONSECRATA,
ET
VOTIVÆ MEMORIÆ

SANCTORUM EJUSDEM SOC. PATRIARCHARUM

S. JGNATII LOYOLÆ,

ET

S. FRANCISCI XAVERII,

PATRONORUM TUTELARIUM,

RITU CATHOLICO SOLENNI,

A

REVERENDISSIMO AC SERENISSIMO S. R. I.

PRINCIPE AC DOMINO

D. JOSEPHO

DEI GRATIA EPISCOPO AUGUSTANO, LANDGRAVIO HASSIÆ, PRINCIPE IN HEERSFELD, COMITE IN CATZEN-ELLENBOGEN, DIEZ, ZIEGENHEIN, NIDDA, ET SCHAUMBURG, ISENBURG, ET BUDINGEN, ABBATE INFULATO FELDWARIÆ IN HUNGARIA &c. &c. &c.

DEDICATA

DIE XVIII. MAII, ANNO MDCC LX.

PRÆSENTI OPERE AD POSTERORUM MEMORIAM

DELINEATA,

IN ÆTERNÆ GRATITUDINIS, OBSERVANTIÆ, DEVOTIONIS ET SUBMISSIONIS

ARGUMENTUM

CLEMENTISSIMO

ET

MUNIFICENTISSIMO SUO

CONDITORI, DONATORI ET DOTATORI

PRÆSENTATA ET OBLATA

A

COLLEGIO SOCIETATIS JESU

MANNHEMII.

EX TYPOGRAPHEJO ELECTORALI AULICO.

SERENISSIME AC POTENTISSIME

PRINCEPS S. R. I. ARCHI-THESAURARIE

ELECTOR

DOMINE, DOMINE

CLEMENTISSIME.

QUod in ſapientiſſimo Regum Salomone demirata quondam ſtupuit Regina Auſtri, id ipſum hodie mihi, alumnæ Electoralis Serenitatis Tuæ, minimæ Societati JESU evenire ſentio, ingenuéque profiteor. Advolaverat inde ab extremis Felicis ſeu Arabiæ, ſeu Æthiopiæ finibus Sabæa Princeps, non tàm à regiâ illuſtris Purpurâ, quàm altiſſimâ abſtruſorum naturæ receſſuum intelligentiâ nobilis, Regem ut inviſendo Regina famularetur, tum verò exploraret ipſa coràm, quæ de ſapientiâ Salomonis, incredibili prorſus ac divinâ famâ perceperat. Propoſitâ ſphynge non unâ Oedipum Regem tentabat Regina: Scientiæ ſublimiſſimæ documenta percepit, viciſsímque ipſa dedit: ambo ſapientiâ, muneribus ambo certabant vincere; cùm vel vinci glorioſum utrique futurum erat in pugnâ tam illuſtri, ad quam admitti non po-

terant, niſi Reges ſapientiâ ex æquo, & Auguſtâ Majeſtate pares. Victa tandem uno inferior Salomone Virago, dum ſapientiæ ſuſpiciens altiſſimæ portenta, tum Aulæ regiæ magnificentiam, Miniſtrorum frequentiam & apparatum, ædificiorum miracula, ac Templi *præprimis à Davide Parente regio præparati, à Rege Filio Pacifico excitati* magnificentiam, *Sacerdotum domicilia, victimarum numerum & præſtantiam contuita, à voce deſerta & ſpiritu ſtetit, ſi non corruit, attonita;* & non erat præ ſtupore ultrà in eâ ſpiritus 2. *Paral.* 9. *v.* 4.

Quod allapſæ remotiſſimis ab oris Reginæ ſpectaculum Solyma obtulit, idipſum inquam, viciniore prodigio, ac domeſticâ felicitate Societas ſibi noſtra gratulata ſæpè fuit; atque hodie cum primis, cùm ad Baſilicæ *à Sereniſſimo Avo Tuo ac Socero* CAROLO PHILIPPO *regiis ſumptibus inchoatæ, à Te munificentiâ pari continuatæ, & glorioſò faſtigio conſummatæ, nobis Electorali dono perpetuò tranſcriptæ ſolenniſſimam* Dedicationem, PRINCEPS SERENISSIME! *progrederis, innovato pietatis exemplo demiratur. Suſpexit illa pridem, ex quo in Palatinatum, & Regiam Palatinorum Principum ſedem clementiſſimè accita, domicilium ac civitatem nacta eſt, & ſuſpiciendo demiſſiſſimè reverita eſt totidem clariſſima ſapientiæ ſidera, auguſta Electoralis Purpuræ ornamenta, ac Religioſiſſimos erga ſupremum Regnorum Arbitrum Principes; quorum luculenta etiamnum totius Germaniæ ſuffragio vivit, vivétque ſapientiæ laus: qui eò regimini natos ſe putabant, ut Regi Regum immortali famulari digniore apparatu poſſent: qui dum pro publicæ, orthodoxæque rei incrementis ſumma decreviſſent, pietatem Ipſi ſuam, & populorum vota ſuperâſſe viſi ſunt.*

Sit perpetua, largiente juſto bonorum præmiatore, auguſtis WOLFFGANGI WILHELMI *oſſibus quies, Religionis Vindicis magnanimi, avitæque Pietatis aſſertoris: habeat fructum laborum pientiſſimum, Religioſus redditæ Fidei Propagator*

tor PHILIPPUS WILHELMUS, *beatam requiem, quam reverenter precamur, & necquicquam interturbamus. Suis etiam fatis functus in æternâ triumphet luce, pro aris, & focis Defenſor intrepidus* JOANNES WILHELMUS; *cujus excelſa mens, ac regendo par orbi indoles, cum mortalibus cæteris præter mortalitatem commune nihil habuiſſe videbatur: Fruantur ſomno illo ſuo, virtute, & labore parto Magnæ Maximorum Principum Umbræ, aut Soles rectiùs lucidiſſimi, in poſthumâ pietate, ceu accenſis totidem facibus, vel poſt occaſum inclareſcentes; Unius certè* CAROLI PHILIPPI *verendos Manes, piiſſimáſque Exuvias interpellare tantisper præſumimus (cujus jactura nobis extitit acerbior, vulnus recentius) ac veluti præſentem ſiſtere hodie; quem ita mors rapuit ex aſpectu, ut vivida pietatis exempla in omnium reliquerit oculis: ita rapere non potuit, quin parte ſuî meliore ſuperſtes in omnium vivat animis, intermoriturus nunquam, Baſilicæ* Auctor Primus, *& Machinator munificentiſſimus.*

Venit ille profectò in hanc cum Regio Vate *immortalis gloriæ partem; Infinitam auri, argenti, ligníque Cedrini vim Jeſſæus Rex præparavit, quibus, ubi in regiâ ſuâ urbe Solymæâ ſurgere dignum, habitaturo cum hominibus immortali Deo domicilium poſſet; à quo perficiendo, cùm fuſo repetita inter bella ſanguine, prohiberi ſe à Deo cognovit, ejus exſtruendi normam ac rationem* Salomoni *Filio Pacifico architecto, unà cum regno vivus etiamnum tradidit. Eadem erant Religioſa* CAROLI PHILIPPI *ſtudia, ut, cujus per omnem vitam munificentiâ feliciſſimè paſſim omnes uſi eſſent, ejusdem auguſtius ſtatueret in Electorali ſuâ Reſidentiâ Manheimenſi ſub extremos vitæ annos monumentum, ac Baſilicam Deo conderet, in quâ excitandâ iſtud præ Rege Prophetâ habuit ſingulare, quòd poſito, ùt ajunt, lapide primo, prima ipſe ſuſcitavit fundamenta: illud commune, quòd ejus abſolvendæ curam unà cum Palatinis faſcibus, inter vivos ſuperſtes adhuc transcripſit Socer Genero, Avus Nepoti; Elector mitiſſimus Salomoni Filio Sapienti, Pacifi-*

 co,

co, Pio; CAROLUS PHILIPPUS CAROLO THEODORO.

Tibi, inquam, ELECTOR SERENISSIME! *cujus regia inter virtutum decora luculentius eminent gemina illa veluti regnorum ſidera:* Sapientiæ Pacíſque amor, & Religionis ſtudium, *quæ, cùm in regno effulſerint quodam, ceu indices certæ felicitatis nuncios læti ſuſpicimus. Compertum tenes, Princeps ſapientiſſime! aureæ beatitatis optatos fructus nullibi ſuccreſcere lætiùs, quàm ubi pacis tranquilla libertas regnorum curſus moderatur, ac fata flectit: haud Te fugit, rem communem optimè demum mutuâ regionum fulciri, ac populorum conſenſione: inde in Electorali Purpuratorum Imperii Patrum cœtu, graviſſimíſque Conciliis, à concordiâ conſilium potiſſimùm ſemper ſumis; hâc unâ res firmari magnas, dilabi maximas diſcordiâ ratus. Inde ſuaviſſimos pacis fructus lætiſſimè percipit Incola Palatinus, felicitatem ſibi ſuam geminam gratulatus: in ubertate ſoli alteram; alteram in pacatiſſimi Principis Sapienti Providentiâ; quæ & inde ſub auſpicatiſſimi Regiminis exordia coëuntem feralem belli procellam Sapientiâ, declinando avertit, non objectis ſubditorum corporibus ſtitit. Atque hæc ab humanâ providentiâ accerſenda pacis præſidia rectè ſtatuiſti: Illud conſilii altioris, ac Tuæ arcanum pietatis, quòd felicitatis inconcuſſæ certiora firmamenta nonniſi à* Religione *inſigni, atque erga Superos ſubjectione decreviſti eſſe repetenda, primas regiminis curas perficiendæ Domui Domini impertitus es, ſapientior Salomon; dignus, cui tanti operis abſolutio & gloria reſervaretur. Nempe ſeriùs cepiſſe Tibi videbaris, ni ſtatim: dediſſe parum, niſi Totum: Princeps maximis à propitio Numine ornatus muneribus, maxima reddere ut poſſes. Non eſt hic noſtræ ſeu facultatis, ſeu propoſiti, commemorare, queis Purpuram ornas Tuam,* ELECTOR MAXIME! *Dotes; Providentiam, quam Imperio; Comitatem, quam ſubditis; Sobrietatem ac Temperationem in ſummo rerum faſtigio, quam Tibi, Æquitatem, quam omnibus impertiris: Fulgu-*

gu-

gura virtutum Tuarum intueri cominùs non licet, ſuſtinere non datur: dicere omnia haud poſſumus; proferre aliqua haud licet, ſilentium imperante Modeſtiâ Tuâ: quæ eſſe talis cùm amat potiùs, apparere refugit, aut ſciri. Unum dixiſſe ſufficiat, CAROLUM THEODORUM *glorioſæ memoriæ Majorum ſuorum virtutes unum omnes complexum; Sereniſſimorum in regimine Anteceſſorum per omnia ſimillimum, hoc uno diſſimilem, quòd ſuperare etiam videatur, & acceptum decus novâ luce illuſtrare. Spirat etiamnum in Te potiore ſuî parte* CAROLUS PHILIPPUS, *acerbo à nobis funere poſtremis annis abſtractus, niſi Te reliquiſſet ſuæ virtutis æmulum, pietatis cum dignitate hæredem; cujus ſub parentelâ, ereptis prematurè Sereniſſimis Parentibus adoleviſti Pupillus Princeps; qui exſpirans, ſupremos inter amplexus, magnam illam Tibi tranſmiſit Animam: quæ, quanta ſit, quàm nonniſi meditandis perficiendisque rebus maximis nata, vel in unâ iſtâ, quam conſtruxiſti Æde magnificâ, apertius præbuiſti argumentum.*

Videt, quisquis ejus intuetur Majeſtatem, ejus ideam, *nonniſi in* Principum *potuiſſe animis enaſci: qui ſplendorem & ornamenta,* Baſilicam, *qui ſumptus, eos nonniſi ab* Archi-Theſaurario Principe *potuiſſe ſubminiſtrari facilè intelligit. Atque iſta ſunt,* ELECTOR SERENISSIME! *quæ eodem cum Sabæâ Principe ſtupore defixos nos tenent, quibus cætera cum Reginâ tantâ communia eſſe non poſſunt. Obtulit illa, poſtquam è raptu illo ſuo ſe recepiſſet, quæ ſeu felix parturiverat Arabia, ſeu dives auri Æthiopia ſuppeditaverat,* munera auri optimi, & aromata multa nimis & *pretioſa: Tantis certare muneribus nobis haud quaquam conceſſum.*

Ne tamen, ubi maxima, quæ Principum ſunt, haud ſuppetunt, in minimis, quæ noſtra ſunt, videamur deficere, ΑΝΤΙΔΩΡΟΝ *offerimus imaginem Templi, ſtylo adumbratam typico, & æneo illuſtratam: perpetuum demiſſiſſimæ obſervantiæ noſtræ, & gratitudinis teſtimonium: Poſthumum* CAROLO PHILIPPO, *Principi Religioſiſſimo Monumentum: æternum gloriæ Tuæ,*

B ELE-

ELECTOR POTENTISSIME! *Trophæum; Domui Palatinæ, Cæſarum, Regum, Principum Fortunatiſſimæ Procreatrici, Mnemoſynon immortale. Neque verebimur omninò, ne minùs digna videamur offerre:* Electorale *eſt, quod damus,* munus: *Regium eſt, quia Tuum eſt:* Baſilica *eſt, ac Dei Domus:* CAROLINA *eſt; quod illa ſibi Nomen, cùm à* CAROLIS SERENISSIMIS *cætera habet omnia, arrogare audet, nata* CAROLIS, *adulta* CAROLIS, CAROLO *conſummata; atque, uti Te, cùm dares, Principe digna, ita non indigna prorſus, cùm reddimus.* Thuris *Sabæi vicem devotiſſimæ ſupplebunt Fidelium & Societatis preces, in eâ inde ab hac die fundendæ, atque odore ſuaviſſimo pervaſuræ nubes, & Superorum inflexuræ pietatem, ad eam, quam poſſides, Sapientiam, æternùm deſpondendam Tibi, atque in felici* NEPOTUM *ſerie Palatinatui olim noſtro impertiendam. Eodem ſpectabunt Diviniſſima Tuorum, quos clementiſſimè fovere non deſinis, ſacerdotum tot in Aris* Sacrificia, *quæ* aureis *à Munificentia Tuâ decorati* indumentis, ac Vaſis, *pro* ELECTORE SUO CLEMENTISSIMO, *pro* CONJUGE SERENISSIMA, *pro Electorali Thoro ac Solio, offerre quotidie Deo nunquam deſiſtent; qui nunc ad idem* SERENITATIS TUÆ *proſtrati ſolium, palam orbi confitentur univerſo, gratiſſiméque enunciant, ſe percenſendis, quibus à Palatinâ Clementiâ Societas noſtra minima, in triplici Germaniæ Provinciâ aucta eſt, fruitúrque indies, beneficiis, pares haud eſſe, compenſandis tempore, nullo aut ratione unquam ſuffecturos.* TU SERENISSIME ELECTOR, *dignare opellam hanc tenuem clementiſſimè intueri; quam non ſine quidem verecundiâ ob offerentis tenuitatem, nec ſine timore ob tantam acceptantis Celſitudinem, magnâ tamen cum confidentiâ ob innatam Tibi Clementiam*

Offert, Dedicat, Conſecrat,
Tibique Vitam, & Felicitatem precatur

Devotiſſima Societas JESU
Collegii Tui Electoralis Manhemii.

ARGUMENTUM, ET SYSTEMA OPERIS.

ECcleſia Societatis JESU Manhemii, magnifica Domûs Palatinæ Baſilica, à Sereniſſimis duobus Electoribus Palatinis CAROLIS ædificata, CAROLO PHILIPPO inchoata, CAROLO THEODORO conſummata, ideóque dicenda meritò BASILICA CAROLINA, hodie conſecrata, & Societati donata.

Proluſio. *Nova Eccleſia Palatina* D. CAROLO M. *ſupplicat, pro nomine* CAROLINO. Elegia. *Pag.* 9.

Exegeſis Hiſtorica. *Baſilicæ Carolinæ etymon explicat.* 10.

PARS I.

BASILICÆ CAROLINÆ CONDITORES.

Societas JESU Sereniſſimis duobus Conditoribus ac Fundatoribus, in debitæ gratitudinis mnemoſynon, æternum erigit Monumentum. 11.

§. 1. Baſilica Carolina CAROLI PHILIPPI MAUSOLEUM, *cum Epitaphio Ejusdem, & Elogio poſthumo.* 11.

Synodia Poëtica. *Eccleſia, & Religio* CAROLO PHILIPPO MAUSOLEUM *ſacro cum luctu conſecrant.* Epos. 19.

§. 2. Baſilica Carolina CAROLI THEODORI TROPHÆUM, *cum Encomio Ejusdem gratulatorio, & Panegyrico.* 21.

Synodia Poëtica. *Gloria, & Æternitas* CAROLO THEODORO TROPHÆUM *ſolemni cum ritu dedicant.* 29.

PARS II.

BASILICÆ CAROLINÆ STRUCTURA.

Societas JESU magnificam, Baſilicæ Carolinæ *Fabricam ſtylo Architectonico delineatam, æríque inciſam exhibet, ac offert.* 31.

§. 1. Baſilicæ Carolinæ SCENOGRAPHIA, & *Aſpectus ab Oriente.* 31.

Exegeſis Hiſtorica. *Constructa ad formam Templi Salomonici, & Templorum primitivæ Chriſti Eccleſiæ.* Epigramma.

II. *Ejusdem* ICHNOGRAPHIA, & *Fundamenta.* 32.

Exegeſis Hiſt. *Cryptas habet, utì Roma Catacumbas.* Epigram.

III. PROPYLÆUM, & *Facies illius exterior, & interior.* 33.

Exegeſis Hiſt. *Convenit cum Porticu Salomonis, & Frontiſpiciis veterum Chriſtianitatis Templorum.* Epigram.

IV. NAVIS, & *Aſpectus lateralis à ſeptentrione in-& exterior.* 34.

Exegeſis Hiſt. *Imitatur Templum Salomonis, & Templa Chriſtianorum.* Epigram.

V. CHORUS, & *Aſpectus ab Occidente.* 35.

Exegeſis Hiſt. *Similis præcedenti.* Epigram.

VI. ALTARIA, *cum delineatione Aræ maximæ.* 36.

Exegeſis Hiſt. *Non duo tantùm habet Altaria, ſicut Templum Salomonis; ſed ſeptena more Templorum Chriſtianorum.* Epigram.

VII. ORGANUM, & CAMPANÆ. 37.

Exegeſis Hiſt. *Synagoga ad ſolemnitates populum convocabat tubis; Chriſti Eccleſia Campanis; utraque DEum laudans in Organis.* Epigram.

VIII. COLLEGIUM & GYMNASIUM, & *illorum Aſpectus ab Oriente.* 38.

Exegeſis Hiſt. *Contigua utrimque ædificia, Collegium Societatis, & Gymnaſium Studioſæ Juventutis; non ſecùs ac Templo Salomonis, & Chriſtianorum* Epigram.

Synodia Poëtica. *Muſa Collegiorum, & Gymnaſiorum Societatis JESU, per tres Germaniæ Provincias, Conditores Sereniſſimos Principes, Comites Palatinos Rheni deprædicat.* 39.

PARS III.

DOMUS PALATINÆ RELIGIOSITAS.

Societas JESU pientiſſimis, è Domo Palatinâ, *Collegiorum ſuorum Fundatoribus, obeliſcos erigit, venerandáſque eorum Effigies cum plauſu ſuſpendit.* Epos. *Pag.* 41.

Effigies I. WOLFFGANGUS WILHELMUS
Catholicus Religionis, & Regionis Vindicator. 43.
Exegeſis Hiſtorica. *Ejusdem vitæ Synopſis, & facta illuſtriora.* Synodia Poëtica. 44.

II. PHILIPPUS WILHELMUS.
Religioſus Legis, &Gregis Propagator. 45.
Exegeſis Hiſt. *Ejusdem vita, & geſta Heroica.* Synod. Poët. 46.

III. JOANNES WILHELMUS
Magnanimus pro aris, & focis Defenſor. 47.
Exegeſis Hiſt. *Illius vita, & facta generoſa.* Synod. Poët. 48.

IV. CAROLUS PHILIPPUS
Pius pro Eccleſiâ, & Imperio Zelator. 49.
Exegeſis Hiſt. *Vita illius Religioſa, & Pietas.* Synod. Poët. 50.

V. CAROLUS THEODORUS
Magnus Majorum ſuorum Æmulator.
pro DEo, & Populo.
Exegeſis Hiſt. *Virtutes Ejus, & glorioſum Regimen.* 51. Synod. Poët. 52.

VI. ELISABETHA AUGUSTA
Electa Domûs, & Patriæ Mater.
Exegeſis Hiſt. *Dotes Ejus, & Virtutes.* 54. Synod. Poët. 55.

VII. DOMUS PALATINA.
Glorioſa Heroum, Heroidúmque Mater Eccleſiæ, & Imperio. 57.
Exegeſis Hiſt. *Reliquorum Ducum Nomina, & merita.* 57. Synod, Poët. 58.

PARS IV.

DOMUS PALATINÆ GLORIA.

Societas JESU maximam Domûs Palatinæ *gloriam demonſtrat.* 60.

Gloria I. A Nobiliſſimâ, & Antiquiſſimâ ORIGINE, à D. Carolo M. *usque ad* Carolum Theodorum, *ultrà decem ſæcula, in* Arbore Genealogicâ. 62.
Exegeſis Hiſt. *Tres ſuprà triginta Generationes, recto Stipite.* Synodia. 63.

II. Gloria A REGNO, ex Conſanguinitate, & Affinitate *cum ſummis orbis Chriſtiani Domibus.*
Exegeſis Hiſt. *Perſonas, & Tempora nominat.* 64. Synod. Poët. 68.

III. Gloria A SACERDOTIO. *Per Comites Palatinos Archi-Epiſcopos, Præſules & Abbates in plurimis Germaniæ Eccleſiis.*
Exegeſis Hiſt. *Illorum Nomina, Eccleſiæ, & Tempora.* 69. Synod. 72.

IV. Gloria A COELO. *Per* Sanctos *ac* Beatos *utriúsque Sexûs* Cœlites. *è* Domo Palatinâ *oriundos.*
Exegeſis Hiſt. *Aliquem illorum Syllabum cum Auctoribus exhibet.* 73. Synod. 76.

CONCLUSIO.

Societas JESU Sereniſſimis ſuis Fundatoribus, Principibus Conjugibus CAROLO THEODORO & ELISABETHÆ AUGUSTÆ *gratias agit ampliſſimas, piáque vota, & preces humillimè offert pro æternâ Eorundem felicitate.* Elegia. 78.

PROLUSIO.
BASILICA PALATINA
Divo Carolo Magno, Auguſto Cæſari Palatino, pro jure, Et uſu nominis Carolini ſupplicat.

ELEGIA.

SAncte Palatinæ Gentis Genearcha, Satórque
Auguſtæ Stirpis, CAROLE MAGNE Pater!
Quem legis, è patriâ ſupplex venit urbe libellus,
Quâ moritur Rheni Niccarus hauſtus aquis.
Hunc Pater ad Sanctas, quas oſculor, atque paternas
Supplex pro dando nomine, mitto manus.
Materies precis iſta meæ eſt: mihi gratia fiat
Nominis; hæc res eſt muneris una tui.
Sum conſtructa recèns CAROLIS Eccleſia binis,
Qui tuus eſt rectæ Stirpis uterque Nepos.
Prima PHILIPPUS Avus mihi fundamenta: coronam
Sed Gener impoſuit, par THEODORUS Avo.
Magnus uterque tui, & genuinus ſanguinis hæres,
Nomináque, & Vultus ſunt in utroque Tui.
Dux Pater exemplo Natis Auguſte præîſti,
Æmula Te ſequitur Diva Propago Ducem.
Plurima Saxonicæ pie Gentis Apoſtole templa
Struxiſti: pius & ſtruxit uterque Nepos.
Templa Deo ſtruxit THEODORUS, templa PHILIPPUS,
Hic tria Manhemii, condidit ille duo.
Teſtis Ego locuples, patriæ quæ gloria terræ
Artis ùt eximium, ſic pietatis opus.
Ergo Patres mihi ſunt CAROLI: quis verò paterni
Nominis hæredi jus mihi jure neget?
Dant natis Patres, ſua dant ex more patrini
Nomina; cur ſimili non ego jure fruar?
A Conſtantini non una Eccleſia Magni,
Conſtantina, ſuum nomine nomen habet:
Cur ego non etiam, CAROLIS quæ condita binis,
Dicar, & à CAROLIS ſim CAROLINA meis?
Judice Te, mihi ſit, CAROLORUM Proto-Patrone,
Par jus, à CAROLIS nomen habere meis.
Audiar! & miſſo FIAT ſubſcribe libello.
Hoc, Te Sancte Pater, dante, valebo. Vale.

BASILICÆ CAROLINÆ ETYMON.

EXEGESIS HISTORICA.

Varia Veteribus fuit notio vocis hujus BASILICA *pro gentium, religionúmque diverſitate. Originaria Græcis à radice* Βασιλεὺς *Rex; mutatitia Latinis, idémque ſonat, ac Regia, ſubaudiendo* DOMUS. *Primitivâ ex inſtitutione ac uſu Baſilicas dixit Gentilitas auguſta Regum Palatia; ſubin Magiſtratuum Curias, quin & Negotiatorum per abuſum Burſas. At uſu Sanctiore Baſilicas ſua Templa vocavit Chriſti Eccleſia, ut primùm Conſtantini M. Proto-Cæſaris Chriſtiani pietate, Conſtitutionéque Imperiali conſtitit libertas Templa erigendi & Oratoria, quàquà libuiſſet Romanum per Imperium. Quàm verò rectè, quis ignorat? Sunt namque Chriſtianorum Eccleſiæ, Baſilicæ ſeu Regiæ Domus, Regis regum cum hominibus habitantis ſuper terram. Auguſto Conſtantinus ipſe dux fuit & hortator exemplo: Romæ, urbe tam veteri, quàm novâ, Conſtantinopoli, magnificas Chriſto Salvatori, ejusdémque Apoſtolis ædificavit Baſilicas, Palatiis etiam Cæſareis Laterano & Vaticano in Eccleſias conſecratis; quas* CONSTANTINIANAS *appellare fideli Populo placuit, in ſancti Conditoris honorem. Neque verò honorifico Baſilicæ titulo Templa paſſim honorabantur omnia; Sed ea duntaxat, quæ auguſtâ molis majeſtate tranſcendebant cætera, velut excelſa Regum Palatia humiles vulgi caſas.* Κυριακαὶ *quoque, ſive Dominicæ à* Κύριος, DOMINUS *dicebantur Baſilicæ: unde vernaculo nobis idiomate hodiedum appellantur* Kirch *à græco* κυριακαὶ, *latino* DOMINICÆ, Dom-Kirch DOMUS DOMINI.

Ecquis verò Eccleſiæ noſtræ Palatinæ, Baſilicæ titulum negaverit, ſi vel primâ fronte inſpexerit, verè regiam molis majeſtatem, Cathedraticis ſupparem, & Metropolitanis? Si proin BASILICA *eſt: quid prohibet, quò minùs ad æternam Conditorum* CAROLORUM *memoriam glorioſo inſigniatur titulo* CAROLINÆ? *Gentilibus licuit ædes profanas Conditoribus dicere cognomines, Julias Julio, Sempronio Sempronianas: Chriſtianis libuit appellare à Conſtantino Conſtantinianas; Palatinis nobis cur non liceat, Palatinam hanc Eccleſiam ſuis à Conditoribus, Sereniſſimis Principibus* CAROLO PHILIPPO, & CAROLO THEODORO *inaugurare* BASILICAM CAROLINAM, *utriusque Conditoris nomine glorioſam? Carolorum illi Divorum & Auguſtorum æmuli, non tantùm nominis, ſed & Spiritûs, orbi ſeſe probârunt hæredes. Mirabantur auguſta pietatis Carolinæ monumenta, Templa, Collegia, Cænobia, à Divis Carolis, Magno Cæſare, & Cardinale Borromæo; Auguſtis à Carolis, Romanorum Imperatoribus:* SECUNDO, QUARTO, & SEXTO, *erecta & fundata; legebant oculis ſuſpenſa eorundem ſcuta in frontiſpiciis, fundatorum nomina in ſacris Eccleſiarum Dyptichis inſcripta ſuſpiciebant; Inde ſacer Zelus exarſit, ſanctis illorum veſtigiis inſiſtendi. Parùm pietati Principum fuerat, complures ſuis in Provinciis inſtauràſſe Eccleſias, pretioſâ veſtium, ſacrorúmque vaſorum inſtruxiſſe ſupellectile; novas quoque in Aulâ Electorali, ac urbe Manhemii è fundamentis excitâſſe, Deiparæ Virgini viſitanti, Divo Archangelo Michaëli, SS. Philippo Apoſtolo, & Carolo Borromæo ſacras: Collegio denique Societatis* JESU *recèns fundato addere placuit Baſilicam, (quæ noſtra Carolina eſt) magnificentiſſimam, Sanctis ejusdem Patriarchis Ignatio, & Franciſco Xaverio votivam. Huic* CAROLUS PHILIPPUS *Anno* MDCCXXXVIII. *primum lapidem, Electorali manu, ſolemni ritu poſuit, fabricámque quinquennio feliciter produxit;* CAROLUS THEODORUS, *Prædeceſſore pientiſſimo fatis erepto, ab Anno* MDCCXLIII. *per decennium, ſumptibus, difficillimâ etiam bellorum tempeſtate, liberaliſſimâ munificentiâ continuatis perfecit; glorioſo demum coronatam faſtigio Divinæ Majeſtati ritu Catholico fecit hodie conſecrari. Verus uterque* CAROLUS CAROLORUM *Divorum atque Auguſtorum Imitator.*

PARS

PARS I.

Societas JESU Sereniſſimis Baſilicæ Carolinæ Conditoribus, Electoribus Palatinis Mauſoleum erigit, & Trophæum.

** ** **
* * *

BASILICA CAROLINA

PIIS MANIBUS, SACRIS CINERIBUS

CAROLI PHILIPPI

PRIMI SUI AC PIENTISSIMI

AUTHORIS, & CONDITORIS

MAUSOLEUM.

** ** **
* * *

Patria Palatina Patrem
Luge mecum! & lege

CENOTAPHIUM,	EPITAPHIUM,
Quod cum dolore erexit Pietas	Cum lacrymis ſcripſit JESU Societas
Æternæ memoriæ	Gloriæ poſthumæ
PATRIS	FUNDATORIS
Pia Filia, parentans.	Grata Alumna, juſta perſolvens.

Eheu!

CAROLUS PHILIPPUS

Sereniſſimus, ac Potentiſſimus

PRINCEPS, S. R. I. ARCHI-THESAURARIUS, ELECTOR,

COMES PALATINUS RHENI,

Bavariæ, Juliæ, Cliviæ, ac Montium Dux,

Princeps Mœrſiæ, Comes Veldentiæ,

Sponhemii, Marchiæ, Ravenſpurgi,

Dynaſta Ravenſteinii &c. &c.

Collegii, & Gymnaſii Societatis Jesu Manhemii

FUNDATOR MUNIFICENTISSIMUS,

Pater Amantiſſimus, Princeps Clementiſſimus

VIXIT.

VIXIT
DOMUI PRINCEPS GLORIOSUS.

ÆRÆ CHRISTIANÆ
Sæculo XVII. Anno LX. Menſe XI. Die IV.
Die S. Caroli, CAROLUS Neoburgi ad Iſtrum, primum aſpexit diem,
Naſcens cœpit mori, quia in mundo vivere mortalis;
Moriens cœpit vivere, in cœlo immortalis.
Die anni ultimo, Manhemii ad Rhenum, ultimum vixit diem,
Exſpirans cum anno exſpirante,
Octogenario major, dierum plenus, & meritorum,
Sæculo XVIII. Anno XLII. Menſe XII. Die XXXI.
Cum maximo Suî deſiderio, & memoriâ æternâ.
Filius Conjugum, & Parentum Principum,
PHILIPPI WILHELMI, & ELISABETHÆ AMALIÆ:
Patre ſatus Duce, Matre natus Landgraviâ, Domo datus Principe,
Palatino, Haſſo-Darmſtadianâ, Neoburgicâ.
DOMUS PALATINA, (AUGUSTUM NOMEN!)
Antiquiſſima Germanorum Principum, & Glorioſiſſima,
Affinis Cæſarum, Sponſa Regum, Nutrix Electorum,
Fœcunda Comitum, Ducum, Heroum, & Heroidum Parens,
Orthodoxa S. Matris Eccleſiæ Filia,
Mater CAROLO fuit, & Magiſtra
Fidei, virtutum, morum, ſcientiarum, linguarum,
Quas cum lacte imbibit, in cunis didicit,
In ſolio coluit, tumbæ intulit.
Pro Domûs Auguſtæ gloriâ Adoleſcens glorioſus
Præ Mitrâ elegit Galeam, utrâque dignus, quia par utrique.
Norât vitam hominis eſſe militiam: militare hanc voluit glorioſam
Pro Deo, & Eccleſiâ, Cæſare & Imperio,
In Hungariâ, & Germaniâ,
Budæ, Belgradi, Moguntiæ
Miles prœliis generoſus, Dux expeditionibus glorioſus.
Electorales Faſces Palatinos
A Patre PHILIPPO WILHELMO Domui Neoburgicæ illatos,
A Fratre JOANNE WILHELMO Sibi relictos,
Glorioſiſſimo annorum ſex & viginti Regimine felix tenuit,
Decemviros inter maximus natu.
Cúmque deeſſet, cui transmitteret, hæres filius,
Nepoti tradidit, ac Genero, Duci Neoburgico-Solisbacenſi,
CAROLO THEODORO.
Diſponens Domui maturè & ſapienter.

VIXIT

VIXIT

DEO PRINCEPS PIUS.

Principis Elogium princeps eſt: *eſſe pium.*
Pietas à teneris Carolum docuit Magiſtra diſcipulum
Diſciplinam Juſtorum, ſcientiam Sanctorum
Timorem DEI, & Amorem.
Mirare pietatem in Principe, non vulgarem, ſed eximiam.
Habitans in arduis, in confinibus ſolis poſuit nidum Aquila excelſa.
Ambulavit coramDeo cumAbraham,recurrit adTabernaculum cumMoyſe,
In dubiis, periculis, adverſis.
Inde ſacer exarſit in oratione ignis, qui nunquàm dixit: *Sufficit.*
Huic horas interdiu ſenas dabat, Davidis æmulus,
Et ne numero inferior eſſet, ternas noctu frequentiùs addidit.
Multùm orans pro populo Dei, cum Oniâ,
Genu ſemper flexo, corpore ſæpe prono, expanſis non raró brachiis,
Deprehenſus à ſuis erubuit, non pietatem, ſed famam,
Lucem fugiens (quam alii quærunt) cùm præclarè faceret.
Peccatorem ſe ſtitit S. Tribunali, Conviva Menſæ aſſedit Euchariſticæ
Raro exemplo, quovis octiduo,
Ternis aſſiſtens tùm Miſſarum Sacrificiis, Ara ipſe, & Hoſtia.
CHRISTO PATIENTI confixus, ejúsque Ss. CORDI intimè conjunctus,
Cor ſacravit in ſedem amoris, & officinam.
Sol Ecclypſin veram nunquam patitur.
CAROLUS frequenter mortuus, in funere
Parentum, Fratrum, Sororum, Conjugum, Prolium, Nepotum,
Vixit DEO, & Virtuti, ſe ipſo major.
Neoburgicam Domum, tot prolibus olim glorioſam
Secum improli claudendam Sarcophago, prævidens,
Altiſſimis *Divinæ Providentiæ* acquievit conſiliis,
Dominus eſt, ajebat, *quod bonum eſt in oculis ſuis, faciat.*
Opes non fortunæ Beneficium, ſed commiſſum à Deo depoſitum
In Gloriam Dei diſpenſavit, regni cœleſtis ARCHI-THESAURARIUS.
Ratus ſe poſſidere plurima, cùm plurima profudiſſet
In Aſceteria, Noſocomia, Gymnaſia,
In quibus Deum laudabat vivus, nunc paſcit vivos mortuus,
In Tumbâ ſilens inſtruit, fidelis Chriſti Oeconomus.
Dum pallent in urnâ Cineres, poſthuma radiat pietas
In argenteis Oeniponti & Manhemii Altaribus,
In Crucibus, Calicibus, Hierothecis, Lipſanothecis aureis,
Omni auro, quod dedit Rhenus Palatinis aurifluus, piè impenſo.
Funerales abeſte Lampades! lucet poſt fata PHILIPPUS.

VIXIT
SANCTIS PRINCEPS DEVOTUS.

Non ſola vidit Aſia Sanctorum Vindices;
Cùm cœca Hagiomachorum peſtis fureret;
Non una ſuſpexit Roma, LEONES & CAROLOS MAGNOS,
Cùm nata in Oriente, turbaret Occidentem contagio.
Et noſtra tulit Germania CAROLUM à pietate in Superos MAGNUM,
Et LEONEM PALATINUM, Divorum ultorem Hagiophilum.
Sanctis Curiæ ſupernæ Principibus
Sumptuoſas poſuit Aras, ſtatuas erexit, ſupplicationes inſtituit.
Quorum colebat merita, viva in ſe ſculpebat exempla,
Nam amor aut ſimiles facit, aut invenit.
MARIAM VIRGINEM DEI-PARAM
Quanto complexus affectu? Matrem Filius, Dominam ſervus.
Palatinatui Patronam reſtituit, an Patronæ Palatinatum?
Huic Sedem in Aulâ ſtabilem fixit VISITANTI,
In Lauretanâ Oggershemii æde frequens peregrinator,
Non ſine munificâ manu, & illuſtri Subditorum exemplo.
Solvit diurnum Dominæ tributum: Officium, Coronam.
Ejus propugnando immuni à labe *Conceptui*
Annuum ſcripſit de genu Sacramentum, Mariano oblatum Cœtui,
Votivâ cum Formulâ, & Xenio Principali,
Qui ſuæ dignitatis ſocium habere non potuit, amore Matris
Factus multorum ſodalis.
Divis CAROLO BORROMÆO, & PHILIPPO APOSTOLO
(Quorum gloriabatur nomine, delectabatur honore,)
Sacras poſuit ædes,
Alteram pro Hoſpitali Civium, pro Militum præſidio alteram.
Binis Societatis JESU Patriarchis
IGNATIO & XAVERIO
Novendiali ad Octavam, Decendiali per annum cultu devotus,
Dum Baſilicam inchoat in terris, Templum Gloriæ ingreditur in cœlis.
Meritus cum Sanctis Triumphum
Quem Nobili Polono, Princeps Palatinus,
Agnato ex Radziviliâ Polonâ Principe, primâ Conjuge affinis
STANISLAO KOSKÆ, Sanctis recèns adſcripto adornaverat,
Sacrum KOSKÆ Cranium, auro gemmíſque pretioſum Cimelion
Solenniſſimâ per urbem circumvectum Apotheoſi
Pedes Comitatus, Comes Palatinus.
Applaudite Indigetes Cœlorum Genii!
Electis Dei Servis, devotus famulatur Princeps Elector.

VIXIT

VIXIT
ECCLESIÆ PRINCEPS ORTHODOXUS.

Non erubuit Evangelium CAROLUS.
Cui gloria fuit, Domo naſci Principe; Major erat, Eccleſiæ filium eſſe.
In canâ ſenectæ hyeme, vegetus aquilæ juventâ,
Sacris exarſit flammis, venerandos jurans per capitis canos:
Hoc Tibi Domine! & Religioni devoveo Caput!
Rem in Palatinatu Catholicam
Labantem Atlas ſuſtinuit, nutantem Hercules erexit,
Nec ſine multiplici, multiplice cum Hydrâ, bello,
Clavâ Crucis uſus, gladio Spiritûs armatus.
Palmam Victor tulit, dum invénit cupreſſum
Quam Libitina ad fores fixit, & inſculpſit: *Non plus ultrà.*
Quas ferrea nequibant ciere Fata
Lacrymas, CAROLO elicuit mollior puerorum pietas,
Cùm ſupplicantium procederet agmen, numero frequens, cultu devotum.
Tot ſe filiis auctum putabat, quot Eccleſiam ſubditis.
Manhemium regnaturus adiit parte plurimâ Heterodoxum,
Manhemio moriturus abiit parte plurimâ Orthodoxo.
Invitare mortem cantu ſuaviore potuit
Cantator funeris ſui Sereniſſimus Olor:
Nunc dimittis Servum tuum Domine! in pace.
Divinis Liturgiis, Officiis, Concionibus, Precibus, Supplicationibus,
Sacerrimâ rituum obſervantiâ, majeſtate, pietate conſtans affuit.
Benedicta Sanctæ Matris munera
Palmas ſuſcepit, Cineres, luſtrales aquas, cereos, pacis oſculum
Major cùm eſſet, factus ſicut minor, quantùm crevit?
Cùm pauperum exterſit pedes, mediaſtinus in COENA DOMINI Princeps.
SERVATORI PASSO
Glorioſum condidit in *Paraſceve* Sepulchrum
Cùm ss. VULNERIBUS curvaret pectus, Octogenarius Elector, humi ſtratus,
Cùm oſcula libans Cruci, lacrymas funderet, quis ſpectator non flevit?
Solenniſſimus Religionis Triumphus fuit,
Cùm ante ARCAM DOMINI EUCHARISTICAM, in THEOPHORIA
Davidicæ pietatis imitator, exultaret
Stipatus Aulâ, Milite, Cive plurimo,
Vertice nudato, pedes, ſpretis auræ, & maledicæ Michol injuriis,
Ludens pſalterio, ſed Mariano; lucens cereo, plùs exemplo.
Dicite Palatini!
An Religio triumphârit in Principe, an Princeps in Religione?

VIXIT
PATRIÆ PRINCEPS CLEMENS.

Tuetur Catulos *Leo*, *Gallina* pullos fovet.
Gallinam dicerem CAROLUM, nî Leonem ſcirem Palatinum.
Hoc excubante, ſecura quievit Patria ſub vite & ficu ſuâ.
Sine prole ne viveret, Patriam adoptavit filiam.
Subditos vetans novo gravari cenſûs impendio,
Mandans levari, proprii etiam theſauri diſpendio.
Offenſas, ùt filiorum lapſus, ultus eſt Clementiâ,
Multa tulit à diſcolis, à tanto non ferenda Principe,
Imò ferenda maximè, ut PATRIÆ PATER CLEMENS audire poſſet.
Ad requiem cùm feſtinaret Palatinus Atlas,
Humeros moli non ſubduxit, ſed rursùs obtulit,
Domine, ſuſpirans, *ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius*,
Non recuſo laborem.
In Gentis ſubditæ bonum, ex Heidelbergæ montibus
In apertam Manhemii planitiem ſe demiſit,
Nam & aſpectus ex propinquo ſiderum, & Principum juvat.
Quantùm Metropolin auxit, armavit, ornavit
Palatiis, Propugnaculis, Collegiis, Cœnobiis,
Aulâ verè Regiâ Electorali, non indignâ Cæſare Hoſpite?
Sanctimoniales *Noſtræ Dominæ*, Religioſos è *Carmelo* Aſcetas
Civium bono concives fecit, conceſſo jure Civitatis,
Hos Apoſtolicos in ſalutem animarum Adjutores,
Illas meliores ſequioris ſexûs Magiſtras.
Societatis JESU Operarios
In agrum vocavit, immiſitque Manheimenſem.
Ut falcem mitterent in meſſem, & triticum inveherent in horreum
Cœleſtis Patris familias,
Amplam illis exſtruxit laboris aream,
Privato, ne Rempublicam gravaret, ærario Collegium,
Gymnaſium publicum, Templum magnificum.
Quis luctus aures ferit in funere CAROLI?
Flebiles voces ſunt,
Orphanorum, Viduarum, Infirmorum, Egentium,
Quos eleemoſynis, ſtipendiis, pharmacis, tectis, veſtibus, lignis
Recreare non deſtitit, usque dum vivere deſiit.
Plorate (licet) miſeri!
Juſtus eſt veſter dolor, juſta comploratio,
In CAROLO Patrem amiſiſtis,
Qui naturæ, Gloriæ, & Virtuti ſatìs vixit,
Non item vobis!

VIXIT

VIXIT
IMPERIO PRINCEPS SAPIENS, & PACIFICUS.

Sapientia Principum, Salus populorum.
Pax felicitatis pronuba.
Beata Regna! quibus gemina hæc fulgent ſidera!
Romano-Germanicum dic! Imperium
Quantum vidiſti Carolum? non jam umbone fulgurantem,
Sed placida ferentem pacis Conſilia, Sapientiæ oracula
Et Cæſari, & Imperio.
LEOPOLDO Magno, SORORIO Auguſto
Miles & DUX quondam militavit, Tyrolim PRO-REX gubernavit,
Inſculpſit Caroli Nomina rupibus devotus Civis,
Ut geſta Caroli ſera intelligat, laudétque poſteritas.
JOSEPHI I. & CAROLI VI. Imperatorum illuſtris AVUNCULUS,
Necdum Elector, ab Electoribus Legatus, Teutonum Divorum Nuncius
Electum ſalutavit Cæſarem,
CAROLUS CAROLUM, Avunculus Nepotem.
CAROLUS VII. Cæſar Bavarus, Carolum Electorem Palatinum
Agnatum coluit, Patrem dilexit, Hoſpes inviſit Auguſtus,
Neptibus & Nepotibus tœdas tulit, precatus Epithalamium.
Suprema Electoratûs Palatini Gubernacula
S. R. I. Princeps, Archi-Theſaurarius, Elector, & Vicarius
Difficillimâ Bellorum Tempeſtate, fatali rerum viciſſitudine
Annis compluribus ſapienter tenuit & pacificè.
Intricatum de Vacantis Imperii *Vicariatu* Nodum
Expedivit feliciter
Non enſe Alexandri, ſed Mercurii Caduceo,
Reddens dignitatem utrique Agnatæ Domui, & æternum fœdus.
Cauſam *Juliacæ* ſucceſſionis criticam,
Duorum ſæculorum controverſiam,
Sine cœde, paucis menſibus compoſuit ſapientiâ.
Juvenis Martem ſecutus, averſatus eſt ſenex.
Quem gladio olim, nunc oleâ cohibuit à patriæ finibus hoſtem
Ut Victor eſſet in utroque, Sago potens, & Togâ.
Struxit propugnacula, arces & caſtella inſtauravit
Mannhemii, Duſſeldorpii, Juliaci.
Ne metue Patria!
Pacis firmamenta ſunt, non bellorum prodroma,
CAROLUS PHILIPPUS
His Martem ſapienter ſtatuit vigilem pacis Cuſtodem.

VIXIT
SIBI PRINCEPS JUSTUS.

Qui per vitam iniquus nemini
Cuique ſuum tribuit, ſe ipſum non fraudavit
In vitâ, in morte.
Peccatum ſi excipias, timuit in vitâ nihil,
In morte quid timeret *juſtus*, *quaſi Leo confidens?*
Lege, qui ſtas ad urnam CAROLI,
Voces familiares vivo, non ſepultas cum mortuo:
Domine! ſi prævides Majeſtatem Tuam iri offenſum à me, meisve,
Innocuos da nos mori potiùs, quàm vivere nocentes.
Dignam Principe ſententiam, auro & gemmis ſculpendam!
Clementiſſimus aliis, ultor ſuî ſeverus,
Rationes à ſe exegit quotidie, dedit exhomologeſi octiduanâ, generali annuâ.
Maculas abluebat, nec ſine lacrymis,
Expiabat, nec ſine pœnitentiis (quod mirêre) catenulis, ciliciis, flagris.
Inter adverſa, morbi vim & dolorum, pharmacorum nauſeam,
Peccatorem ſe confitens, necdum, ingemuit, *pro merito ſum caſtigatus.*
Mori non formidabat, qui ſe quotidie mori cogitabat,
A morte non præventus, ſed adrepentem oppertus,
Pœnitentiæ ſacramento expiatus, *S.Viatico* ad iter æternitatis confortatus,
Sacro inunctus oleo Luctator,
Armaturâ Crucis & Marianæ Iconis Clypeo munitus
In PP. Societatis JESU comprecantium coronâ
Mortem *in conſpectu Domini pretioſam*, obiit,
Dignus, æternum ut viveret, niſi homo fuiſſet.
Corpus ungi vetuit, ſuo ſat odorus buſto Phœnix,
Cum inter intenſos virtutum, & affectuum actus deflagrârit.
Funebrem pompæ vanitatem prohibuit,
Superfluum putans, cum vitam mutaret, non perderet,
In vitæ melioris triumpho, mortis apparatum.
Illatus noctu cryptæ Templi Aulici, à PP. Societatis
Prece funerali, ritúque ſuo parentantibus,
REQUIESCIT IN SANCTA PACE.
Sic vixit Juſtus, ſic Deo mortuus eſt.
Fallor! mortuus ſuis, Deo vivit, porrò non moriturus.
Abſterge lacrymas Patria!
Quem luges mortuum, vivit
CAROLUS PHILIPPUS,
Sanctorum Civis, Divorum Socius, *Comes*, non jam *Palatinus*,
Sed Rex in perpetuas æternitates.

SYNO-

SYNODIA POETICA

Eccleſia & Religio CAROLO PHILIPPO *Mauſoleum ſacro cum luctu conſecrant.*

EPOS.

ODimus antiquæ Funebria Gentis: ab Aris
Cede ſuperſtitio divinis: tolle profanæ
Barbara Pyramidum ſpectacula Memphis, & Urnas
Cuſtodes cinerum, quaéque ambitioſa Vetuſtas
Pellæi crepat immodicè portenta Canopi.
Vanos vana decent. Sacris auguſtius Aris
Inſtat opus: Magni labor eſt monumenta ſacrare
Oſſibus HEROIS, quem Stirps NEOBURGICA Claro
Effudit partu, ſuſpexerat orbis, in uno
Extinxit centum vultus, Proavúmque, Nepotúmque,
Et parvo clauſit Fatum lacrymabile buſto,
At mens Elyſios felix tenet incola campos;
Dico Tuum nuper CAROLUM pia Patria! Summo
Quo jacuit proſtrata ſimul *Domus inclyta* caſu.
Jámque alto delapſa polo per inania fertur
Cœlicolûm ſtipante choro Regina Dearum,
(Non aliter tacitæ per opaca ſilentia noctis
Sidereo graditur ſtipata ſatellite Phœbe.)
Gratia fronte ſedet: divinior emicat oris
Majeſtas, triplex geſtit radiare corona
Vertice, dextra gerit claves, divina Columba
Imminet inde humeris, Divæ eſt ECCLESIA nomen.
Proxima RELLIGIO ſtipat latus: Iſta Clienti
Illa parat Nato ſacris luſtrare ſepulchrum.
Providus Ipſe ſibi venturi CAROLUS ævi
Funereæ ſtruxit penetralia pallida Noctis.
Sic ævo victam poſiturus in igne ſenectam
Ipſe ſibi tumulum pretioſum fronde Sabæum
Thure ſtruit, caſiâque tuus Panchaia! Phœnix,
Emoriturque rogo, æternum feſtinus in ortum.
Virtutum chorus omnis adeſt, parat æmula turba
In laudes CAROLI, Molem phalerare parergis.
Aurea ſuſpendunt anathemata, ſplendida ſigna
Virtutum, ac decorum: Clavum Conſtantia, Frœnum
Sobrietas poſuit: Speculum Prudentia fixit,
Enſem Juſtitiæ jungens Aſtræa, Bilanci
Addidit, & ramum Clementia miſit Olivæ.
Cœtera quæque ſuos conjunxit Nympha decores.
Nulla operis vacat, excelſâ dum mole Coloſſus
Æternos buſtis addat pietatis honores.

Sic ubi Diva cohors ſupremos ſolvit amores
Inferiis, ſacra Exuviis *Eccleſia*, ſacra
Februa *Relligióque* parat. Regalibus Umbris
Inſtant perpetuæ loculum ſacrare quieti.
Fumantem profert Panchæi thuris acerram
Relligio, & ſacri luſtralia flumina fontis;
Pallida fax dextrâ lucet (luſtralia pallor
Feſta decet) Tumbam Crux ornatura, nec abſunt
Cœtera funerei flenda ornamenta paratûs.
Ter calidis votis Eccleſia ritè precata,
Luſtrica diſperſit divini munera *roris*,
Ter *ſacris* dixit, Te *paſcat odoribus* æther.
Hora *quieſcendi* venit, *àmodò Spiritus inquit*
Emerita à duris conatibus oſſa quieſcant.
Fixa ſtetit, ducénſque gravi ſuſpiria luctu
Relligio adgemuit, CAROLO dans ultima vota.
At vos Manhemides Nymphæ! quæ ſyrmate longo
Luctificas Patri comites iviſtis ad urnas,
Siſtite funereas lauris implectere taxos,
Parcite porrò ſacri turbare ſilentia ſomni
Rauciſono ad tumbam queſtu: Tibi pulla Virago,
Cui ſocium JESU radiat de pectore Nomen,
Fas erit auguſtis æternùm Principis Umbris
Illacrymâſſe: his Inferias memor omne per ævum
Solves, non nigram maculosâ fronte bidentem,
Sed qui ſiderei fulgens in monte SIONIS
Jugiter humanæ cadit HOSTIA DIVA ſaluti,
Offerríque novus, ſine morte renaſcitur AGNUS.
Pauca parentali verba hæc inſcribito ſaxo,
Æternaturi lacrymoſa Epicedia luctûs;
Hìc CAROLUS meus ille jacet, meus ille PHILIPPUS,
Princeps ſtirpe, *Heros* vitâ, ſed funere *ſanctus*
Sorte immortali felix. Tu patria Luge!
Æternúmque pii, dic, oſſa quieſcite Patris.

*** *** ***

CAROLO PHILIPPO,

Duci Neoburgico, Electori Palatino,
Collegii & Gymnaſii Fundatori,
Baſilicæ Carolinæ Authori,
Principi Orthodoxo, Pio, Religioſo, Munifico,
Juſto, Clementi, Forti, Sapienti
Grata poſuit minima Societas JESU
Manhemii.

BASI-

BASILICA CAROLINA

GLORIÆ, & ÆTERNÆ MEMORIÆ

CAROLI THEODORI

MUNIFICENTISSIMI SUI

CONDITORIS, FUNDATORIS, DOTATORIS

MONUMENTUM, ET TROPHÆUM.

** * **
* ** *

Jo! Patria mecum Palatina!
In
Sereniſſimo Tuo Principe
Felicitatis Tuæ Auguſto ſidere,
Felicitatem lege Tuam, & fruere.

TROPHÆUM
Inſpice, & mirare;
Gloria Principi poſuit
Ad famam immortalem
Æternitati.

ENCOMIUM
Perlege, & gratulare;
Societas Jesu Fundatori ſcripſit
Ad memoriam æternam
Poſteritati.

Lege, gaude, fruere.

CAROLUS THEODORUS

Sereniſſimus, ac Potentiſſimus

PRINCEPS, S.R.I. ARCHI-THESAURARIUS, ELECTOR,
COMES PALATINUS RHENI,
Bavariæ, Juliæ, Cliviæ, ac Montium Dux,
Princeps Mœrſiæ, ac Marchio Montium ad Zoomam,
Comes Veldentiæ, Sponhemii, Marchiæ, Ravenſpurgi,
Dominus in Ravenſtein &c. &c.

Dominus
Dominus noſter Clementiſſimus

VIVIT, & VIVAT!

VIVIT & VIVAT
DOMUI PRINCEPS GLORIOSUS.

Æræ Chriſtianæ
Sæculo XVIII. Anno XXIV. Menſe XII. Die XI.
In Caſtro ad Bruxellas Drogenbuſchio
Ex Sereniſſimâ S. R. I. Palatino-Solisbacenſi Domo
Lucem hauſit & ſplendorem è RIVO *ſolis* gemma lucida,
Aut, ſi mavis, ſydus novum Cœlo ortum Solisbacenſi,
Patre JOANNE CHRISTIANO
Comite Palatino, Duce Solisbacenſi,
Matre MARIA ANNA
Principe Arvernâ, Marchioniſſa Zoomo-Montenſi,
In Gloriam natus & Spem Palatinatûs.
Princeps Partus Principum, proto- & mono-genitus,
Unus ſcilicet Phœnix, non plures naſci ſolent.
Donum Dei ſuſpexêre Parentes, & dixêre
THEODORUM, hoc eſt, ADEODATUM
ΘΕΟΔΩΡΟΝ, ΔΩΡΟΝ ΤΟΥ ΘΕΟΥ.
Sunt ſua Nominibus Omina.
Avitæ Domui, & Thoro Principi
Tres inter Palatinas Charites primigeniam
ELISABETHAM AUGUSTAM
Sponſam Glorioſam, Glorioſus Sponſus induxit,
Electore Cæſare Bavaro Magno Paranympho,
Benedicente ad Aram Archi-Præſule Electore Colonienſi,
Hymenæum canente bis ſeptem, qui deduxit, Principum Choro.
Sic Domui Solisbacenſi denuò junxit Neoburgicam,
Faciens, ùt erant ante duo ſæcula, *utraque unum.*
Domui Palatinæ Domum Zoomo-Montanam inferendo,
Paternam Hæreditatem Maternâ feliciter auxit;
Ducatum Juliæ & Montium, Ravenſteinii Dominatum
In quietam Sibi, & Sereniſſimæ Domui aſſeruit poſſeſſionem,
Princeps Domûs Suæ verè Auguſtus.
Electoralem Dignitatem invexit in Domum Solisbacenſem
Filius natu ultimus, Electoratu primus;
Sub cujus glorioſo Ordinis S. Huberti Magiſterio
Sereniſſimi Principes, adoptari Equites gloriæ Sibi ducunt
Aureâ Inclyti Ordinis torque gloriantes.
Quantum à Domo CAROLUS THEODORUS accepit?
Quantum reddidit?
An CAROLUS plus Domui, an Domus *Carolo* debeat, problema eſto.

VIVIT

VIVIT & VIVAT
DEO PRINCEPS PIUS.

Virtute, Lucinâ ſanctiore natus obſtetrice
In lucem ſecum extulit congenitam ſibi Pietatem, & collactaneam,
Gratiæ Filius, Virtutis Alumnus.
Quadrienni Filio MATRE præmaturis defunctâ fatis,
Functa Matris officio PRO-AVIA Pro-Nepotulo
Ethices Chriſtianæ Magiſtra fuit, Scientiarum Minerva.
Servat odorem teſta diu, quo eſt imbuta recens.
Primi ſolis SOLISBACENSIS ſurgentis in Aurorâ radii
Cum luce plenum crevêre in meridiem,
Quem orbi Palatino ſine umbrâ faciunt hodie
Sereniſſima Principis Exempla.
Regnum feliciùs ut capeſſeret, à Pietate cepit.
Altaria novit Regnorum fulcra, baſin Religionem.
BASILICAM qui vides, qui CAROLINAM audis,
Admirare
Perpetuum Pietatis Carolinæ Monumentum.
Vel me tacente, lapides, muri, Turres, & Aræ clamabunt,
Quàm pretioſa CAROLI in Deum, Divósque ſit Religio;
Exemplo Magni, quàm diu pii *Salomonis*,
Qui dum Deo Templum condidit, ſolium ſibi firmavit,
Et ſapientiam, pacem, longævitatem, opes, Gloriam obtinuit.
Quis Carolo non auſpicetur par præmium, cui par eſt meritum?
Abeſte profani Deorum Luci, Aræ luſtricæ,
Carolus Sanctiores adiit.
Primus ex Aulâ Electorali, Principis Electoris egreſſus
Pia ad Ædem Oggershemii Lauretanam fuit peregrinatio,
Homagium Deo & Virgini dixit, priusquàm à ſubditis acciperet.
Quoties
Urente æſtu, rigente brumâ, niveo, vel pluvio aëre
Peregrinantem vidimus?
Ad ædem Sapientiæ Incarnatæ, ad Sedem Sapientiæ Dei Matrem,
Aſſiſtricem ut ſibi oraret Sapientiam,
Ad Commiſſos ſibi populos, piè, & ſapienter gubernandos.
Digitum impone labiis Fama!
Privata Principis Pietas verecundatur evulgari;
Si liceret loqui! CAROLUS
Mavult eſſe pius in abſcondito, quàm videri ambiat in publico.
Neſcire vult ſiniſtram, quid faciat dextera.
Hæc dico Vates, felix Patria ſub Principe pio!
Habes, quæ mireris, vides, quæ imitêris.

VIVIT & VIVAT
ECCLESIÆ PRINCEPS ORTHODOXUS & CATHOLICUS.

Eccleſia Principum, Principes Eccleſiæ Gloria.
Hanc colit Matrem, qui Deum amat habere Patrem.
CAROLUS THEODORUS
Fidei Orthodoxæ Cultor, Religionis Catholicæ Propagator,
Religioſiſſimi in Regione, & Religione Anteceſſoris
Recta tenet, & ſancta legit veſtigia.
Nihil immutari, omnia obſervari jubens Succeſſor,
Quæ ad Dei Cultum inſtituit Prædeceſſor.
Frigere non datur ſubdito, ubi palam ardet Principis Religio,
Accenditur Orthodoxus, uritur Heterodoxus.
Diei Auſpicium
Non à Jove, ſed *Latrevticâ* capit HOSTIA, Sacrificio Matutino,
Diſcit, qui adſtantis videt Reverentiam, Myſterii Sanctitatem.
In rerum copiâ ſitit, fortunæ ſatur eſurit
PANEM ANGELORUM, DEUM,
Quem in Synaxi dum frequens ſuſcipit, quantus in flammas abit?
Feſtivitatibus ſacris adeſſe, ſupplicationibus intereſſe
Hoc CAROLO ſolenne, illud perpetuum.
Religioni ſibi ducit, publicè non profiteri Religionem.
SS. Legum, ac Rituum obſervantiſſimus
Exultat cum triumphante, cum lugente mœret Eccleſiâ,
Supplicanti admixtus plebi,
Demiſſione par, temperatâ eminet Majeſtate.
Quàm verè, tam ſplendidè
Sanctæ Matris Eccleſiæ Romano-Catholicæ
Filium obedientiſſimum CAROLUM dixeris.
Non ſolus CAROLUS MAGNUS, Cæſarum Maximus,
Eccleſiæ Romanæ Defenſor, & Advocatus,
Laudes, & Regis Chriſtianiſſimi Titulos,
Et ſummum Occidentis Imperium
A SANCTA SEDE APOSTOLICA meruit,
CAROLUS THEODORUS
Patri Oecumenico, Chriſti Vicario, Pontifici Maximo
BENEDICTO XIV.
FILIUS CHARISSIMUS appellatus,
Amiciſſimis Litteris Apoſtolicis, & pretioſis muneribus honoratus,
Electoris Orthodoxi, *Principis Religioſiſſimi*,
Glorioſiſſimo Nomine Salutatus.
Oraculo nil opus Delphico,
MAXIMUS dedit Credentium PATER, Elogium maximum eſt.
Sic S. Mater Eccleſia honorat filios, ſi filii honorant Matrem.

VIVIT & VIVAT
IMPERIO PRINCEPS PACIFICUS.

Magnum eſt ornari purpurâ, majus ornare purpuram.
Purpuratos inter Germanici Imperii Patres
NOVEM-VIROS Conſos Deos, Electos Cæſarum ELECTORES
Quantus aſſidet CAROLUS THEODORUS
S.R.I. PRINCEPS, ELECTOR, ARCHI-THESAURARIUS?
Sereniſſimus conſiliis, auxiliis potentiſſimus,
Togâ Sapiens Conſiliator, Conciliator potens Sago.
Sunt Lauris ſua pretia, quas Bellum parit.
Arrident Laurorum frondes, civium nî rubeant ſanguine,
Sed ſuaviùs olea ridet,
Quæ Principum venit Sapientiâ ſine Sanguine.
Has carpere, has virere in Patriâ, florere in Imperio
Princeps Pacis, Salomon Palatinus gaudet.
In Concilia dum coeunt ſummi Imperii Atlantes
Fatiscentem ætate, an bellis? ut firment rem Imperii,
Pro vindicandâ quid non egit, quid paſſus eſt Carolus pace?
Diſſuaſit armorum Societatem, animorum ſuaſit.
Fructuum belli amantior, quàm ſeminum.
Finem mediis præhabens, non præpoſterè, pacem bello.
Sic ore CÆSARI teſtatus præſens, ſic abſens Principibus calamo.
Sic CO-ELECTORES viſitans, ſic viſitatus à COLLEGIS
Moguntiæ, Bonnæ, Monachii, Mannhemii.
Pax Imperii, Concordia Imperantûm, ſalus populorum
Scopus erat tot ſuſceptorum à Carolo itinerum.
Cauſas Imperii dispicere, diſſidia componere, gravamina tollere,
Finitimis cum Statibus in amicitiâ vivere
CAROLI prima, & ultima cura.
Quis ille belli turbo
Prima ſuſcepti Electoralis Regiminis perturbat exordia?
Hannibal ad portas! Mars Laribus enſes minatur & faces.
Sed non expaveſce Patria!
Vincit CAROLUS cum Fabiis, non Scipionibus.
Tempeſtatem novo bellandi genere à patriâ avertit
Neutri diſſidentium accedens parti,
Optimam partem eligens, pacem.
Tela in pace fabricat, ne in bello deſint,
Non bellum, ſed bello ſe parans, amore pacis.
Propugnacula reparat, militem conſcribit, diſciplinâ exercet,
Æraria inſtruit, armamentaria replet, Belli nervum & pacis.
Ita Magni Principes ſine bello triumphant PROVIDENTIA.

VIVIT ET VIVAT
PATRIÆ PRINCEPS SAPIENS.

Dos prima Regentûm: *Sapientia*.
Spiritu Principali animentur Imperantes, neceſſum eſt.
Conſultare, judicare, exequi, Prudentiæ officia ſunt.
Ergò Fortunatum Te Palatinatus puta.
Quantâ ſedet ad Clavum Sapientiâ CAROLUS?
Quàm providè conſultat? acutè judicat? fortiter exequitur?
Sapientes in partem muneris vocat Miniſtros,
Solones, Senecas, Bartholos, Rerum Conſultos & Juſtitiæ.
Curias inſtituit, Dicaſteria conſtituit, ſelectos legit Conſiliarios.
Ut multorum oculis videat clariùs,
Et multorum ſuffragiis decernat æquiùs,
Vivos audit, mortuos legit, utroſque conſulit.
In Bibliothecâ, quam ſibi privatam ſtruxit, & cubiculariam,
Ceu doctâ laboris diurni officinâ
Uſque ad delicias hoſpitatur.
Scriptores veteres ac recentes, domeſticos ſibi habet & familiares,
Quia ſuadent ſine fuco, decernunt ſine metu
Noſcunt, & reverentur neminem.
Theſaurum Reipublicæ Litterariæ, ſelectiſſima Authorum Volumina
Magno pretio, ingenti numero, Heidelbergâ, & Solisbaco
Ad Reſidentiam & Aulam Mannheimenſem transtulit,
Bibliothecam erigens publicam ex ære privato,
Ptolomæis æmulus Philadelphis, ΒΙΒΛΙΟΦΙΛΟΣ.
Athenas favoribus ornat Palatinas, Lycæa conſervat patria,
Mecænas non unum fovet Maronem.
Novit CAROLUS
Litteratos Patrii eſſe firmamenti Sellas
Principum Regnantium ſeu ſocias, ſeu famulas.
Conferentiis, quas vocant, Intimis ſæpè multi-horariis
Præſens ipſe aſſidet, & Præſes ſummus præſidet,
Cauſarum æquiſſimus cognitor, arbiter, Judex.
Conſilia audit, ad libram trutinat, Jus dictat,
Concluſa ſuaviter, & fortiter urget.
Fert leges, ut proſint, paucas ne gravent,
Has ut ſubditis faciles reddat Legislator,
Ipſe ſervat primus, etſi Princeps jure ſolutus lege,
Plus docens exemplo, quàm jubens imperio.
Principum exemplo componitur orbis, ſtat Sapientiâ.
Beata Regna!
Ubi Reges philoſophantur, vel philoſophi regnant.

VIVIT

VIVIT & VIVAT
PATRIÆ PRINCEPS CLEMENS ET JUSTUS.

Clementia Principes Diis ſimiles facit.
Audi Palatine!
Solenne CAROLI Effatum, & Patrem amplectere.
Ego propter ſubditos, ait, *non ſubditi propter me.*
Dignam Patre Patriæ ſententiam!
Supplicibus occurrit ipſe, libellos excipit, preces audit,
Petiiſſe, impetrare eſt
Honores meritis, dignis præmia, indigis ſtipendia.
Sic complectitur præſentes, ut non deſtituat abſentes,
Solem imitatur, qui, cùm fovet propinquos, lucet diſſitis,
Et ex unâ parte orbis recedit, ut ad alteram accedat.
Quàm jucundum nuper Provincias inter patrias bellum?
Quælibet CAROLUM ſuum videre oculis, brachiis complecti certavit.
Mannhemium Electorem ſuum arctè complectitur,
Neoburgum Principem expetit, Solisbacum Dominum requirit,
Montes & Julia ſuum repetunt Ducem.
Quid agat Princeps optimus? ſic litem dirimit,
Ut impertiatur ſe ſingulis, præſentiâ beet omnes.
Nec locorum diſtantia, nec viarum invia,
Nec hyemis aſperitas iter ſufflaminant.
Gratiores in hyeme phœbi vultus.
Principis ſolicitudinem probavit Polus,
Non lævùm tonans, ſed offerens prodigia,
Ruinam lacunaris Duſſeldorpii ſtitit ad Principis egreſſum,
Conopei lapſum ſuſpendit Neoburgi, Mannhemii fatalem depulit morbum
Ad pias Civium ſupplicationes & vota.
Divi! tanti Sideris prohibete occaſum!
Servate Patriæ Patrem!
Quàm Sanctum in Principe connubium Clementiæ, & Juſtitiæ?
Odit bonos Princeps, qui nocentibus, emendare cum poſſit, parcit.
Amore regit CAROLUS & *Timore*, lenitate æquitatem temperat.
Eadem ſtruxit Archi-tecta Manus
Piſtrinum Juſtitiæ, Orphanotrophium Clementiæ.
Ergaſtulum improbis, Ptochotrophium egenis.
Operariis noctis tenebrionibus
Nocturnas accendit lampades per urbem, ut videantur,
Et ad lucem veniant, qui oderunt lucem.
Salve, inquit, *Sancta Juſtitia*, capitali dum ſubſcribit ſententiæ,
Redempturus vel pretio ſalutem uni, ni juſtitiam deberet multis.
Moneri ſemper jubet, quoties vitæ gratia fieri poſſit.
Quis ſubditorum non amet tam Clementem & Juſtum Patrem?

VIVIT & VIVAT
OMNIBUS PRINCEPS OPTIMUS.

Quos altis Providentia genuit rebus,
Magnis non parcè accumulat Naturæ donis.
Ornamenta Virtutum, Prærogativarum Decora
Quæ in aliis diviſa miramur, in CAROLO conjuncta ſuſpicimus.
Victoriâ inter ſe ex æquo dubiâ certant,
Cui palma debeatur, neſciat ipſe Paris.
Roma ſuum quondam Titum ſalutavit: *Delicias gentis humanæ.*
CAROLUM Patria ſuum appellat: *Delicias gentis Palatinæ:*
Recti amans fucum neſcit, candor in fronte ſedet.
Rei nullius, quàm verborum parcus, dicit pauca, perſuadet plurima.
Nam & Principes, dum tacent, loquuntur.
In Affluentiâ ſobrius, non luxu, ſed ſua illuſtris dignitate.
Majeſtas Principes verendos facit, Comitas CAROLUM amabilem.
Summa in eo omnia, humile nihil, præter demiſſionem.
Affectus ſuaviter compoſiti, ritè temperati
Efficiunt concentum, amœniorem in Principe.
Quid mirum? CAROLUM à ſuis amari, ab exteris coli,
Hercule Gallicano potentior, omnium corda rapit.
Non caſtiores tulit ab Ulyſſe caſta Penelope flammas
Quàm ab Sereniſſimo Sponſo AUGUSTA CONJUNX?
Nec Ulyſſes in Penelopen puriùs arſit,
Quàm AUGUSTUS CONJUX, in Sereniſſimam Sponſam.
Dii niſi benefacerent, Dii non forent:
CAROLUS THEODORUS
Congenitâ Sibi Munificentiâ
Ornat ſummos, fovet infimos, recreat oppreſſos,
Amoribus, favoribus, gratiis, ſtipendiis.
Ideò ſe natum, & poſitum in ſolio putat,
Ut benefacere poſſit omnibus.
Indecoram averſatus quietem, labori ſe dat, in Patriæ bonum,
Ignis aut non eſt, aut agit,
Nunquam minùs otioſus, quàm otioſus cum videtur.
In uno omnes fallit feliciter, quod ſemper ſumma præſtet.
Dignus ergò, ut regat, qui ſe regere primùm didicit.
Par regendis populis, quia rationi, dum regit, ipſe obtemperat.
Quid deſideratur Subditis, Civi, Patriæ, Imperio,
Bonis demum omnibus?
Ut PATER PATRIÆ, PATER SIT FILIORUM ET NEPOTUM
In quibus vivat immortalis.

VIVIT

SYNODIA POETICA.

Gloria & Æternitas CAROLO THEODORO *Trophæum ſolennibus ritibus & votis dedicant.*

E P O S.

Eſt DEA, cognatâ Superis ab origine, claros
Ducens natales, merito cûi lumine divus
Splendor, & æternùm clari famulantur Honores:
Fumoſas inter laqueata per atria ceras,
Effigiésque habitat Patrum: de nomine fertur
GLORIA cælicolis: ſociali proxima nexu
Hanc ſequitur DEA, *Perpetuis* ANTIQUIOR *annis*,
Ævi cana parens, prior ævo, conſcia rerum
Teſtis, & æternum, fluxo ſine tempore, Tempus.
Ambæ celſa colunt Heroum limina: ſedes
Ambæ perpetuas viſæ ſibi figere Tractus
Per Palatinos, Latio cum diceret Orbi
Jura *Palatinus Cæſar*, de Nomine *Magnus*.
Utraque perpetuis Tua Nomina credere faſtis
Seu Pariæ rupi, ſeu jaſpide ſculpta laborant,
Magne ſago *Theodore!* almæ ſed munere pacis
Major, ùt Iſacidum Salomon Rex mitis, avitâ
Maximus à pietate: Deo ſacrata loquuntur
Tecta, auguſtali ſurgentia tecta paratu.
   Magnum opus! huc Sociæ greſſum properate Napææ,
Quas & Rhenus habet, viridi queis Nicarus algâ
Imperat. En CAROLO parat immortale Trophæum
Gloria: Vos Divæ ſocios huc ferte labores.
Pyramis Euboicâ ſurgit pretioſior arte:
Flava Palatinus moli Leo tergora ſternit,
Terga, quibus Patriæ Sors inconcuſſa quieſcit.
Dextram haſtæ, galeæque tenent, vomit aureus ignes
Umbo, quæque ſacras per Martia prælia Lauros
Arma, Palatini tulerunt generoſa Gradivi.
Mitis oliva viret lævâ, placidiſſima palmas
Et Lauri pulchro conjungens fœdere baccas.
Faſces ponè micant aurati, & plurima nummis
Effigies Patrum, & ceræ pallentis imago:
Prælia fuſa auro, capta oppida, clara refulgent
Ora Ducum, priſcis notiſſima fulmina bellis.
Hoc genus, hi Proavi Tua ſunt THEODORE, propago:
His genitus, quot mente foves, quot lumine ſpiras
Cæde cruentatis validos Heroas in armis?

Oebalio ſaturata nitent ibi ſymbola cocco:
Virtutes memorant THEODORI. *Cynthius* inde
SOLISBACENSIS Patriis intermicat oris,
Optatum ſidus; ſummo radiata Trophæi
Vertice, diva nitet Pietas, deſponſa fideli
Sorte Deæ, quæ quondam aureîs Saturnia terris
Sæcula diſpoſuit, lætis Dea candida fatis.
Gloria ſublimi tandem de culmine fixit
Effigiem (Heroem vultúsque habitúsque loquuntur)
Sunt vultus THEODORE Tui, quos plurima circùm
Stella nitet, nunquam occiduos ſparſura decores.
Tum DEA *perpetuis* ſuccedit Squallida *Luſtris*,
Et poſitum æterno firmans adamante Coloſſum,
E pede, vatidico figit præconia verſu.
Semper Honos THEODORE! Tuus, Tua facta manebunt,
Quæ ſeri ſtupeant Trinepotes, Sæcla loquentur
Ultima, canities mundi dum fracta fatiſcet.
Applausêre manu Nymphæ, tum poplite flexo
Vota, ſimul tuleruntque preces: ſufflaminat aureô
Dux Fortuna rotam clavo: Pax læta quietis
Tranquillos ſpondet fructus, Dea nomine fœlix
Annuit, auſpiciis felicibus addere curſus
Imperio faciles: carum Gygis annulus illi
Munus erat, donóque dedit, nec divite cornu
Copia dives abeſt. Niveas Hygjæa Senectas
Neſtoreásque offert Hyemes, placidamque ſalutem.
Adfuit & fœcunda parens Cybele, alma Deorum
Progenitrix, Patriæque canens hæc Numine Divûm,
E THEODORINO prædixit Stemmate prolem,
Auguſtæ Domui Genus immortale Nepotum,
Tantóque auratas poſuit pro pignore cunas.
Signa dedêre Dii, nutu promiſſa probarunt.
Tum Muſam JESU Sociam ſacer impulit ardor
Ferre preces, niveâ liquido quas ſcripſerat auro
Membranâ, & fixit levidenſe poëma Trophæo,

CAROLO THEODORO
DUCI NEOBURGICO-SOLISBACENSI, ELECTORI PALATINO,
TEMPLI SOCIETATIS JESU MANHEMII,
CONDITORI, FUNDATORI, DOTATORI,
PRINCIPI ORTHODOXO, PIO, RELIGIOSO, MUNIFICO, JUSTO,
CLEMENTI, FORTI, SAPIENTI, OPTIMO
grata poſuit minima Societas Jeſu Manhemii.

PARS



Sceno
Basilicæ
sive Aspectus Optic

Bibiena cœpit F. W. Raballiati perfecit et delineavit Ser.ᵐⁱ Ele.t Palat. Ar.t ...



raphia
Carolinæ,
delineatus, ab Oriente.

... Lanber Cae. Serma S. R. I. Pr. et Ep. Aug. Landgr. Hasſu. Chalc. Sculps. Aug. Vi.

PARS II

Magnificam Baſilicæ Carolinæ ſtructuram ſtylo Architectonico delineatam exhibet.

BASILICÆ CAROLINÆ SCENOGRAPHIA.

EXEGESIS HISTORICA.

SCENOGRAPHIA, ædificii extrà terræ ſuperficiem erecti deſcriptio, Baſilicæ Carolinæ aſpectum demonſtrat, decempedâ Geometricâ delineatum, ad regulas Optices, ſecundùm partes viſui objectas. Partes autem exponit tres præcipuas, tot videlicet, in quot Sapientiſſimus Domûs Domini Architectus SALOMON Hieroſolymitani Templi œconomiam diſtinxit. Et Sancta Chriſti Eccleſia, non minùs ſapiens architecta ad Salomonici Templi prototypon ſuas ædificare Baſilicas & ipſa ſuſcepit primùm, hodiéque conſtruere pergit. Salomon juxta traditam ſibi à Patre Davide Rege, fabricæ conſtruendæ Ideam, non adnumeratis cameris, cellis, conclavibus Sacrificiorum, ac Sacerdotum uſui deſtinatis, univerſam Templi ſtructuram ternas diviſit in partes, ſacro codice relatas, L. II. Paralip. Cap. III. PORTICUM ANTE FRONTEM verſu 4. DOMUM MAJOREM verſu 5. & DOMUM SANCTI SANCTORUM. verſ. 8.

Eâdem prorſus partitione & formâ Orthodoxa Chriſti Eccleſia, tam Orientalis in Aſiâ Græca, quàm Occidentalis in Europâ Latina, non computatis Sacrariis, Conditoriis, Gazo- & Charto-philaciis, Baſilicas ſuas, Templa, & Oratoria in easdem partes diſtinxit ſemper, ac etiamnum diſpertitur, in porticum videlicet, quæ nobis PROPYLÆUM ſive ASPECTUS A FRONTE dicitur, in Domum Majorem, quæ NAVIS, in Sanctum Sanctorum, quod eſt CHORUS.

Hanc partium proportionem ac numerum Principalis Pietas Palatina, Sanctæ Matris Eccleſiæ Romano-Catholicæ Filia fideliſſima, in novâ Suâ Baſilicâ Carolinâ ſervavit. Secluſis ædificiis, utroque è latere contiguis, eodemque tecto comprehenſis, atque tam ad uſum Sacerdotum, quàm ſacræ Supellectilis cuſtodiam ordinatis, ternis partibus totum complexa eſt Ædificium, Facie Templi extimâ à fronte, Navi, Choro. Quâ id formâ, quo intùs & foris ordine, cultuque, Scenographia oculis exponit ſubjecta, & Hiſtorica per partes ſingulas exegeſis pleniùs docebit.

EPIGRAMMA.

JUpiter in parvo cum cerneret æthera vitro,
    Humanæ ſtupuit Jupiter artis opus.
Tu, qui Magnificæ cernis miracula molis
    In tabulâ levibus ſculpta nitere notis,
Grande opus, at tenui pictum miraris in umbrâ,
    Scenographus docto ſculpſit in ære ſtylus.
Ex umbrâ lucem; Effigiem pietatis avitæ
    Palatinæ, iſthac Icone diſce, lege.
Cuncta Palatinæ tibi ſunt pietatis imago,
    Æmula nec Mentor cûi ſimulacra locet.

BASILICÆ CAROLINÆ ICHNOGRAPHIA.

EXEGESIS HISTORICA.

ICHNOGRAPHIA Baſilicæ veſtigia in plano Horizontali, lineis ad ſuperficiem terræ parallelis exhibet, cum jactis intra terræ viſcera fundamentis: Cryptas inſuper ſubterraneas geminas proponit, ſimiles famoſis Romæ Catacombis, ubi ob frequentiſſimas, ſæviſſimáſque Tyrannorum gentilium perſecutiones, quas ſupra octodecim enarrant Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, primitiva Chriſti Eccleſia tribus ferè ſæculis in effoſſis ſub ſolo arenoſo meatibus, ſacros cœtus agebat, Divinas Liturgias celebrabat, Evangelium prædicabat, Sanctorum corpora religiosè aſſervabat in cœmeteriis. SUPERIOREM CRYPTAM, quæ in Choro Baſilicæ Carolinæ eſt, Pientiſſimo Fundatori placuit ſibimet condere, futurum quietis Thalamum, quò tamen nonniſi ſera poſt ſæcula exſpectat inferendum Societas, Depoſiti tam pretioſi, charique Pignoris cuſtos perpetua.


INFERIOREM proximè Templi veſtibulum, eadem Societas ſuis hìc loci vitâ functis, functurìſque filiis Religioſis in domeſticam ſacravit ſepulturam. Atque hæc quidem inciſa æri Tabella exhibet in plano, quod dicimus, Fundamentali.

In Horizontali, *veſtigia murorum delineat terræ coæquorum, qui ad pedes ſupra viginti quaternos deprimuntur deorſum in profundum; atque ita totius fabricæ dimenſio, extenſióque in ſingulas quaquà verſùm partes refertur, uti in profundum, ita & in longum & latum. Fundamenta omnia, Propylæi Turrium cum veſtibulo, Navis cum ſacellis, & columnis, Cupæ quaternis cum pilis, Chori denique cum ſacrariis, ſolidiſſima certè, tantóque oneri ſuſtentando paria, eâdem tabulâ delineata exhibentur. Circinum applicare, dimenſionéſque experiri juvat.*

EPIGRAMMA.

SIſte ligo! magnæ ſcelus eſt pia viſcera Matris
    Rimari, ferro lædere ſiſte! nefas.
Triptolemo nec opus, nec Oſiridi, ſcindere primùm
    Immiti raſtro qui docuêre ſolum.
Sanctior aſt labor urget opus: Mora nulla retardet:
    Tecta immortali condimus alta Deo.
Tutiùs hæc ſummas feriant ut vertice nubes,
    Altam jactat humo provida cura baſin.
Æolios CAROLINA quidem ſecura furores
    Deſpice: ſat firmâ ſtas ſolidata baſi.
Non & Hyperboreus te proteret æthere turbo
    Non ſectarum atrox, invidiæque malum.
Nam Neoburga baſin Pietas tibi ſtruxit, ad iſtam
    Impete caſſa ruit quæque procella *petram.*

BASI-




Plani fundamentalis.

Basilica
Iohn

0 10 20 30

delineavit



Plani Horizontalis.

Klauber Cath.



Aspectus exterior.

Basilic
Pro

10 20 30 40
ab

Raballiati delineavit.

Carolinæ
ylæum.

mpeda.

0 · 60 70 80 90 100

riente.



Aspectus interior.

Klauber Cath. Sc. Aug. Vind.

BASILICÆ CAROLINÆ PROPYLÆUM.

EXEGESIS HISTORICA.

PRima ædificii pars FRONS eſt, vel FACIES, quæ in fabricâ non ſecùs ac in homine primùm inſpicitur, ut dignoſcatur; unde omnium ferè gentium idiomate FACIES appellatur. Sic facies Templi Salomonis erat PORTICUS ANTE FRONTEM. II. Paralip. III. v. 4. huc & Gentilibus patebat ingreſſus, & Iſraëlitis ob legalem immunditiam ab ingreſſu prohibitis, deſignatus ad orandum locus. Chriſtianis itidem Eccleſiis Pars prima FRONS eſt, FACIES, FRONTISPICIUM aliis, quia velut à Facie, aut Fronte inſpiciuntur. Opus ſemper Fabricæ magnificentiſſimum, Turribus utrinque ſtipatum, in faſtigio Dominicæ Crucis trophæo coronatum; Portis unâ, vel ternis pervium, per quas fidelibus à Divinorum communione Myſteriorum non excluſis patebat in Eccleſiam introitus, in publico verò pœnitentium ordine conſtitutis præcluſus, qui in veſtibulo cancellis interdiſtincto, conſiſtebant cum Catechumenis, ad certam Liturgiæ partem ſacris Canonibus indultam.

Non abludit Facies noſtræ Carolinæ, à Formâ Veterum nihil recedentis: binis utrimque Turribus, omnigeno artis cultu elaboratis, ſonoro ac multiplici Campanarum ære inſtructis ſtabilita. Veſtibulum columnis, arcubus, portíſque ternis, nonnullâ graduum ſerie elevatis apertum, columellis ac cancellis ſeptum; pergulis, conchis, feneſtris, ac trophæis illuſtre; ſtatuis, pyramidibus & urnis auguſtum. Principem ſuper portam Arma Sereniſſimi Principis Conditoris Gentilitia, quæ Sanctiſſimum JESU Nomen radiis illuſtrat. In columellarum acropodiis FIDEI, SPEI, CHARITATIS, & FORTITUDINIS Sacer quaternio, quaternis in conchis Divorum Patronorum S. IGNATII, S. XAVERII, S. CAROLI, & S. PHILIPPI Simulacra, ſcalpro artifice, ſolido è lapide affabrè elaborata; faſtigium glorioſo Crucis Salvificæ Trophæo inter Pyramides coronatur. Opus ſanè exquiſito Architectonices apparatu ſuperbum, & ad ſacram Majeſtatem aſpectabile, quod eminùs prominente molis altitudine, à pluribus leucis accedentium oculos, animóſque rapit in admirationem.

Extima hæc Propylæi Facies, cui intima reſpondet. Hæc odæum columnis grandibus octogonis ſuſtinet, artifice loricâ munitum. Hìc organi pnevmatici ad ingentem exſurgentis altitudinem, & recentibus artis ſculptoriæ elegantiis ornati ſedes, & Muſicis cantoribus locus. Figuram illius exhibet appoſita Tabella.

EPIGRAMMA.

FRons index animi, Regum Palatia primo
    Protinùs ex aditu, veſtibulóque legas.
Fronduit Auguſti de limine laurus, ab armis
    Nota fuit Fabiis, Cæſaribúſque domus.
Fana Deûm Serapis ſignaverat ipſe deaſter
    Excubitor; cœlum quis colat, aſtra docent.
Tecta quis iſta colit pretioſis alta columnis?
    Cui Divûm advigilat limine turba frequens?
Tecta DEUS, DEUS ipſe habitat: ſubſiſte Viator,
    Dum tranſis, flexo devenerare genu.
Conſtruxit Pietas CAROLINA. Hanc ſuſpice, fauſta
    Munere pro tanto ritè precatus, abi.

BASILICÆ CAROLINÆ NAVIS.

EXEGESIS HISTORICA.

ÆDificii pars altera CORPUS non incongruè dicitur, ſtatum habitationi ſpatium. In Templo Salomonis DOMUS MAJOR appellatur II. Paralip. III. v. 5. Paſſim verò TEMPLUM, vel DOMUS DOMINI. Hîc populus Hebræus ſubſiſtebat ad fundendas Deo preces, hoſtias in altari æneo offerendas, decantandos Pſalmos, audiendáſque Legis ac Prophetarum lectiones. Chriſtianorum in Eccleſiis NAVIS nuncupatur, ob navis figuram oblongam; Germanis das Lang-Hauß, ex ipsâ Eccleſiæ cum navi analogiâ. Hæc longâ columnarum ſerie, in unum vel plures concamerata fornices ſuâ utrinque Alâ diſtinguebatur. Nec ÆDICULÆ deerant collaterales, in quibus ARÆ Sanctorum tumulis impoſitæ proſtabant. Fideli populo hîc erat ſtatio ad ſacros conventus agendos, concelebranda Divinæ Liturgiæ Myſteria, & Verbum Dei ex ambone excipiendum.

Nec abſimilis Navis eſt ECCLESIÆ CAROLINÆ, longa pedibus denis ſupra ducentos, ſeptenis ſupra centum lata, alta centenis & octo. Pavimentum ſaxis candido-rubeis inſtratum, talorum in morem diſtinctum. Lacunar parietum inferius è marmore variegato. E candido alabaſtro ſtylobatæ, è multicolori ornamento columnæ, epiſtylia Corinthiaca auro coruſca. Pilæ columnares, octoni velut Atlantes, marmoreis baſium ſubſtructionibus, largíſque coronatæ projecturis arcuatum fornicem ſuſtentant. Planities ejus aureis ubique præfulgida parergis S. FRANCISCI XAVERII labores Apoſtolicos & miracula refert, picturis expreſſa. Feneſtræ tricenis non pauciores, plenam diei lucem in Baſilicam totam invehunt, à primo ſolis ortu ad occaſum. Pergulæ cancellatis ſuis loricis tutum ac decorum reddunt tranſitum per gyrum. Sacella quovis è latere terna, erecta inibi è marmore Altaria cum picturis, S. Tribunalia pro Confeſſionibus excipiendis.

LAQUEARE SPHAERICUM, ſeu CUPA, figurâ Octogonum, feneſtris bis octo tralucidum, altum à fornice ad Laternam pedibus tribus & quinquaginta, à pavimento ad faſtigium ſuprà ducentos quinque ac quinquagenis, latum in diametro quinque & quinquagenis. Picturæ auro illuſtratæ S. IGNATII Vitam ſanctam, ac mortem adumbrant, ad quaternas Cupæ baſes angulares quatuor mundi Partes ſuis diſtinctæ Geniis & ſymbolis admirabundæ procumbunt. In quaternis per Coronam arcuum tholis, Auguſta SERENISSIMORUM FUNDATORUM NOMINA, trabalibus aureis fulgent Characteribus. Opus totum ab arte, & pretio admirandum.

EPIGRAMMA.

IN Templo pacis, ſed pulchro bella duello
  Ars, *Pretiúmque* movent, quæque bravion amat.
Ars portenta offert, quibus ingenioſa Vetuſtas
  Palmam, & ſi videat, Græcia docta ferat.
Argentum, gazas *Pretium* demonſtrat, Eoi
  Fulva ferens auri munera, Gangis opes.
Ipſe ſuas miretur opes Tagus aurifer, artem
  Ipſe ſuam Zeuxis, Parrhaſiúſque ſuam.
Pars victrix palmam utra feret? ferat utraque palmam,
  Utraque pro ſtudio vincere digna ſuo.
Sic tamen, ut primam *Pretium* ferat, *Arſque* ſecundam;
  Ars propter Pretium eſt, hoc ſine nulla foret.

BASI-



Navis Basilicæ Carolinæ Aspectus

0 10 20 30 40 50 60 70 80 90 100

... delineavit



…teralis exterior, à Septentrione.

Klauber Cath. ſc. Aug. Vind.



Basilicæ Carolinæ Navis Aspectus

R.abalhat delineavit



interior, á Septentrione.

Klauber Cath. ſc. Au. V.



Aspectus exterior.

Rabalhati delineavit.

Basilic
C

ab



Carolinæ

rus .

npeda.

50 60 70 80 90 100

idente .

Aspectus interior .

Klauber Cath. Sc. Aug. Vind.

BASILICÆ CAROLINÆ
CHORUS.
EXEGESIS HISTORICA.

PArs ædificii Tertia, Penetrale eſt, intimum Patrisfamilias cum prolibus conclave, ſupellectili pretioſiori reponendæ locus, quò non cuilibet, ſed non niſi Patri, liberis, et qui de domo ſunt, conceditur ingreſſus. SANCTUM SANCTORUM Salomon tertiam Templi ſui partem dixit, II. Paralip. III. v. 8. Hìc ſub alis Cherubim repoſita quieſcebat Arca Fœderis, nemínique niſi Pontifici per annum ſemel introire fas erat, ad adolendum in Altari aureo Thymiamatis incenſum. Chriſti Eccleſia hanc partem Templorum ſuorum ſacerrimam CHORUM nuncupat, vel SANCTUARIUM. Huc Clericis tantùm ad exercenda ſacra Ordinis ſui munia, officiúmque divinum Horis Canonicis decantandum patet aditus; Laicis, cujúsvis etiam dignitatis, excluſis. In centro Chori eminet Altare Majus, pretioſo ſub conopæo, ſuffulcientibus quaternos ad angulos columnis vel ære fuſis, vel cæſis marmore. Hìc in menſâ lapideâ Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in Liturgiâ conſecratur, diſpenſatur, & aſſervatur decentiſſimo in Tabernaculo ad perpetuam lampadem, ad Latriam fidelium publicam, & infirmorum neceſſitatem. Hìc Epiſcopi Cathedra Pontificalis, & ſolium ſub umbellâ, inter Presbyterorum ſubſellia hemi-cycli in formam diſpoſita &c. &c. Ponè Chorum in Diaconio, vel Sacrario pretioſa Eccleſiæ ſupellex veſtiaria, libraria, atque theſauraria ſcriniis condita aſſervatur.

CHORUS BASILICÆ noſtræ CAROLINÆ ſimili cultu, ordine, majeſtate ſe commendat. Pedes in longitudinem numerat tres & quinquaginta; ſecundùm latitudinem duos minùs, centum in altum. Pavimentum marmore candido & nigro inſtratum, gradibus Navi ſublimius quaternis. Cancelli, qui aream Chori reliquam ab Arâ majore ſeparant, & accubituris ad Euchariſtiæ cœnam poſiti ſunt, ex marmore itidem ſecti. Spatium ſemi-circulum efformat ſeptenis utrinque pellucidum feneſtris. Columnæ octonæ marmore rurſus variegato & Alabaſtro incruſtatæ fornicem ſuſtinent, opere plaſtico conchis diſtinctum, cujus in tholo Diviniſſimum JESU Nomen convolantibus ab Angelis adoratum, aureos per gyrum radios quaquà verſum diffundit. Portæ utrinque non humiles, è Sacrario ad Aram valvis patentibus acceſſum præbent ſacerdotibus, quarum in projecturis Odea utroque ex latere ſereniſſimorum Principum, auro & arte ſculptoriâ illuſa. Diaconii, quod veteribus erat, locum, Camera triplex (Sacriſtia nobis dicitur) obtinet, ſpatio peramplo & capaci; ubi ſacerdotibus ad aram proceſſuris ſacræ inſternuntur veſtes; tum Eccleſiæ ſupellex, Caſulæ, Dalmaticæ, Tunicellæ &c. Hierothecæ, Calices, Lipſanothecæ reponuntur, Quæ dum commemoramus, novum Palatinæ largitatis damus argumentum; quæ, ne Choro deeſſent ornamenta, providit: ne veſtimentis divinísque officiis locus, Baſilicæ noſtræ Chorum, eâ, quam deſcripſimus, formæ ornatúsque dignitate conſtruxit. Percenſere minutatim ſingula non licet: Tabulam, ſi lubet, aut ædificium coràm ipſum inſpice.

EPIGRAMMA.

ESto procul vanum vulgus! procul eſto profanum!
Sanctis Sanctorum non niſi ſancta patent.
Numinis hîc Domus, & Sedes: hâc regnat in Aulâ
Majeſtas minimo maxima clauſa throno.
Quam licèt obnubit Panis velamine Myſta;
Luce tamen prodit ſancta, docétque Fides.
Credit Homo, videt Angelus, exhorreſcit Avernus:
Ante DEum, Dominum ſtántque cadúntque ſuum.
Huc immunde cave propies; DEus ignis adurens.
Labe priùs mentem, pulvere terge pedes.
Sic mundus Divis ſociare, & Numen adora,
Cui ſoli Domino flectitur omne genu.

BASILICÆ CAROLINÆ ALTARIA.

EXEGESIS HISTORICA.

DEſtinatas offerendis ſacrificiis Menſas, Altaria duo, conſtruxit Salomon: HOLOCAUSTORUM alterum, alterum THYMIAMATIS: cruentis illud victimis, hoc thuri adolendo; illud Sacerdotum in atrio, in Sanctuario iſtud: è lapide utrumque rudi & impolito, quem laminæ ſubinde aureæ æneaéque veſtiebant, unde ALTARIS illi ÆNEI, huic AUREI facta appellatio. Altarium numerum, cùm hoſtia non ſit niſi una, ſuis in templis auxit Orthodoxa Eccleſia, quæ ſaxis paſſim conſtructa, periſtromatis etiam ſericis, laminis aureis, & argenteis refulgent. Septena numerat Baſilica noſtra, quæ neſcias, an polito â marmore pretii plus, an plus ab arte habeant admirationis. Cæteras inter eminet mole ſuâ auguſtior ARA PRINCEPS, quæ & Chorum ſacrâ explet Majeſtate. Ideam denuò minutâ formatam decempedâ addimus. A pavimento marmore eleganter inſtrato ad apicem usque, ſurgit excelſa moles pedibus ſupra ſexagenos ternis: Columnæ faſtigium ſenæ ſuſtinent, quælibet uno ſecta è lapide, pedes alta undeviginti, ſtylobatis & epiſtyliis non computatis; lata duos cum quadrânte; artis totidem & Architecturæ prodigia; quibus pares hactenus Germania nondum erexit. Lapis Achatæ ſimilior, quàm Porphyritæ. Tam mirâ colorum penè omnium temperie tenerrimas ludit natura per fibras, ut penicillo ſubſequi ars meritò deſperet. Columnis par arte, & materiâ incumbit projectura. Projecturæ apex toreuticus in auream deſinit coronam. Menſa Aræ tertio elevata gradu è marmore diverſi coloris eſt, Ædiculam ſuſtentans Venerabili Euchariſtiæ reponendæ, quam TABERNACULUM dicimus. Hæc pretioſiſſimo è marmore conſtat: baſis è Lazulo: columellæ ex Alabaſtrite; ex ære cupa, ſtylobatæ, epiſtylia, valvæ, ad ignem inauratæ. Deſuper gemina imminent S. IGNATII, & S. XAVERII ſimulacra, candido è marmore elaborata: Illius abituro ad Indos Apoſtolo ſupremùm bene precantis: Hujus, demiſſo poplite extremos Parentis preces ſuſcipientis. Utrumque ad latus inter columnas, binæ artis ejuſdem & materiei Statuæ: dextera Religionis, Nuncium Apoſtolicum ablegantis: Læva Indiæ ſuum ad ſe Apoſtolum invitantis. A faſtigio copioſo illabitur lumine columbæ ſpecie divinus Spiritus, circumfuſo cœleſtium Geniorum choro: his comitantibus, Illo aſpirante.

Diſpoſitæ utroque ex latere ſuis in ſacellis Aræ ſex reliquæ, mole, non arte minores: materiæ ejuſdem, non itidem formæ; binis duntaxat ſuffultæ columnis, ſtatuis cæteriſque parergis ſuperbæ. Prima Salvatori in Cruce agonizanti dicata; altera Virgini ejusdem Matri ab Angelo ſalutatæ; S. Carolo Cardinali Borromæo tertia; quarta S. Eliſabethæ Hungariæ Reginæ; quinta S. Aloyſio, ſexta S. Stanislao, Sereniſſimi utriusque Principis Electoris Patronis, & nomine, & devotione ſpeciali.

EPIGRAMMA.

INdia mittit ebur Romæ: quid Roma remittit?
Xaverium. Natum dat Loyola ſuum.
Utra minus, majúsve dedit? dedit India terræ
Munera: ſed cœli munera Roma dedit.
Illa dedit gemmas pretioſas prodiga, gazas
Quas Mare, quas gremio divite Terra parit.
Hæc per Xaverium, Fidei cum lumine, Numen
Miſit, cum verâ Relligione Fidem.
Quid minus, aut majus? Cœlum, vel Terra? profectò
Roma dedit majus: reddidit Inda minus.

BASI-

Basilicæ Carolinæ
Ara Maxima.



Raballiati delineavit — *Klauber Cath. Sc. A. V.*

BASILICÆ CAROLINÆ ORGANUM, ET CAMPANÆ.

EXEGESIS HISTORICA.

ORGANI nomine veniebant olim quæcunque Muſices inſtrumenta, ſeu fidibus conſtarent, ſeu cannis & tibiis. Utrisque ludebant coram Domino in templo ſacerdotes ad ſtatas ſacrorum feſtivitates, Davidis exemplo, inſtituto Salomonis. Pſalmos lege, & Regum libros conſule. Organum κατ᾽ ἐξοχὴν *nobis hodie eſt Inſtrumentum pnevmaticum, pluribus fiſtularum ordinibus ad concentum muſicum aptè concinnatum, à B. Vitaliano Papa Anno* 657. *in Eccleſias introductum, ad officium divinum ſolenniori cum ritu decantandum. BASILICÆ CAROLINÆ Organum profectò Baſilicum eſt, plusquam tricenis fiſtularum ordinibus, vulgò Regiſtris, concinnum; Turribus (ùt organopœia vocat) erectum quinis, alísque intermediis latum quaternis. Structuræ totius opus elegantiâ admirabili; quorſum & reliquus ſpectat muſicorum Inſtrumentorum apparatus, ad pleniorem muſici concentûs numerum & varietatem.*

CAMPANI ÆRIS nullus erat Synagogæ uſus, eundémque prima ignoravit Chriſtianorum ætas: Illa tubis argenteis, hæc ſymandro (tabulâ ligneâ malleis pulſatâ) plebem ad ſacros convocavit cœtus. Conficiendæ tubæ rationem, & præceptum dedit Moyſi Deus Num. 10. *Æs ſonans in Eccleſiæ turri primus ſuſpendit S. Paulinus* Nolæ *in* Campaniâ *Epiſcopus; unde minutis campanulis ab urbe* Nolâ, *nolarum: majoribus â Provinciæ* Campaniæ *nomine, campanarum nomen adhæſit. Mos hic in univerſam ſubinde Eccleſiam traductus hodiéque obtinet. Companas præviè benedicere, luſtrali aquâ expiare, & impoſito Sancti cujusdam nomine, Deo dicare circa annum Ch.* 972. *cepit, & inſtituit Joannes, XII. P. M. quem ritum ob non abſimiles in Baptiſmi ſacramento ceremonias vulgus nuncupat campanarum baptiſma. Senas binis è turribus ſuſpendit Architecti Principis religioſiſſima pietas, eásque ſenis Domûs Solisbacenſis Principibus hodierno ævo ſynchronis cognomines. Primam SS. Caroli, & Theodori centumpondiis æquilibrem ſeptuagenis: quinquagenis alteram S. Eliſabethæ; quadragenis tertiam SS. Mariæ & Annæ: tricenis quartam S. Franciſcæ Rom. vicenis quintam S. Friderici Epiſc. ſextam denique centenariam S. Caroli Borromæi; omnes inſimul regulari ad ſeptem ſcalæ muſicæ claves harmoniâ conſonantes.*

EPIGRAMMA.

VOcales quondam fingant oracula ſylvas
Ad Dodonæi Templa dediſſe Jovis!
Veriùs in noſtris, quamvis elinguia, Templis
Edunt phonaſcos Organa, & Æra ſonos.
Quas Natura negat, confert Ars Dædala linguas,
Queîs canat harmonicos fiſtula tacta modos.
Numinis Æra canunt laudes; & Nomina Divûm
Quando ſonant, Superos in pia vota vocant.
Et Tua, (ſi taceant homines) THEODORE ſonabunt
Nomina cum meritis, Organa & Æra tuis.

BASILICÆ CAROLINÆ
COLLEGIUM, ET GYMNASIUM.
EXEGESIS HISTORICA.

N*On unâ tantùm Domo Domini abſolvebatur celeberrima Templi Salomonici Fabrica: plura circùm contigua ſurgebant ædificia, quæ ſimul omnia eodem Templi veniebant nomine. Sacri Regum teſtantur Annales L.* 1. *Paralip. c.* 28. *v.* 11. *&* 12. Dedit autem David Salomoni filio ſuo deſcriptionem Porticûs, & Templi, & Cellariorum, & cœnaculi, & cubiculorum - - - nec non & atriorum & Exedrarum &c.; *ubi cœnaculum, cellaria, cubicula antiquitatis periti, & ſcripturarum Interpretes, ædes pronunciant fuiſſe, ſacerdotum conſtitutas ac Levitarum uſui, qui ſtatâ ſecundùm vices hebdomade, & ſacris in Templo fungerentur; ſimul tecto ibidem communi, & habitatione uterentur: Atria verò, & Exedras ſive cathedras, Gymnaſia interpretantur, ſeu Seminaria, imbuendæ in Lege ſexûs utriúsque Juventutis, quam votiva Parentum pietas DEo conſecrârat. Adoptavit eundem in Eccleſiis ſuis morem Chriſtiana Religio, ut Templis, cùm Cathedralibus, Collegiatis, Parœcialibus, & Religioſis ſuas ponè adjungeret Domos Collegia, Curias, Cœnobia, quæ domicilii loco eſſent deſtinatis ad Eccleſiaſtica officia Epiſcopis, Canonicis, Plebanis, Presbyteris ac Religioſis; tum erudiendæ catecheticis, & literariis præceptionibus Juventuti locum pariter aperirent, & opportunitatem.*

Neque in hoc diſpar eſt Baſilicæ noſtræ ratio, ad priſcam Templorum formam conſtructæ. Adjecit illi religioſa Authorum pietas domum ex utroque latere geminam: dextera à Presbyteris Societatis JEſu habitatur, Baſilicæ ex Electorali munere poſſeſſoribus, & Curatoribus: quæ à ſiniſtris eſt, Ludum Studioſæ juventuti aperit, artium ac diſciplinæ palæſtram; more Principum Neoburgico-Solisbacenſium ſolenni, qui, cùm ſplendida Deo templa erigunt, providentiâ pari ſcholas ac Gymnaſia publica Adoleſcentiæ, hujúsque Moderatoribus Collegia exſtruunt. Sanè Societas JEſu Germana in Provinciâ triplici Collegia numerat prorſus octo, à ſereniſſimis iisdem Principibus ſibi condita: putà Duſſeldorpii, Embricæ, Heidelbergæ, Manhemii, Marcoduræ, Monaſterii Eiffliæ, Neoburgi, & Neoſtadii: *his addenda* Juliaci *Reſidentia; Miſſiones omninò ſeptem* Elverfeldæ, Honevii, Ingelhemii, Juliæ, Monaſterii, Ravenſteinii, & Solingæ: *Seminaria tria,* Duſſeldorpii, Heidelbergæ, & Neoburgi; *Gymnaſia in Collegiis totidem octo, non connumeratâ Heidelbergenſium Academiâ; templa tot, quot domicilia. Deprædicat hæc orbi venerabunda Societas, quæ grato charactere ſecretiores inter tabulas pridem cuſtodit æternitati, ac perpetuis, ùt par eſt, oblationibus ad aram recolit: tum verò tantæ ut pietati, ac ſini ſacroſancto uberiùs reſpondeat, nequaquam otioſa conſidet, ſed in Operariis plusquam ducentis pro Dei gloriâ & animarum ſalute ſtrenuè elaborat. Verbi divini ſementem jacit in Oratoribus ſacris, per templa Aulica, Cathedralia, Collegiata, Parochialia, & propria: Fidei rudimenta Proſelytos, teneràmque juventutem edocet in Catechiſtis: ad aram ſacrificat in Sacerdotibus; pœnitentibus in ſacro tribunali aſſidet in conſcientiæ Arbitris; oppidanos pagatim inſtruit in Miſſionariis; ad infirmos, moribundos, noſocomia, Xenodochia, ad carceres, & ſupplicii loca excurrit, & diſponit in Operariis: ad ſacros ſodalitiorum cœtus, ad Virgines in Parthenonibus, ad milites in caſtris exhortatur in Præſidibus: Alumnos in Seminariis Clericos plebi præparat Paſtores; Adoleſcentes Convictores in ſpem Patriæ ad omnem format pietatem, ſcientiam, morum honeſtatem Regentium ac Præſidum curis & vigilantiâ; Studioſam in Gymnaſiis juventutem virtutibus erudit, & liberalibus inſtruit ſcientiarum diſciplinis, Grammaticis, Poëticis, Rhetoricis, Philoſophicis, Mathematicis, Ethicis, Hiſtoricis, Canonicis, Theologicis, linguísque Orientalibus in Magiſtris, Profeſſoribus, & Doctoribus. Horum pro Dei gloriâ, Eccleſiæ incremento, Patriæ emolumento, animarúmque ſalute laborum, ae fructuum, utì origo omnis à ſereniſſimâ Domo Palatinâ ducitur, ita præmiorum in cœlis pars maxima in eandem perpetuò derivatur.*



As
A. Collegii, B. Tem
Societatis IESV M

Rabaliati delineavit



ctus
li, et C. Gymnasii,
nhemii ob Oriente.

Klauber Cath. Sc. Aug. Vind

SYNODIA POETICA

Muſa Collegiorum & Gymnaſiorum Societatis JESU, per tres Germaniæ Provincias, Conditores Sereniſſimos Principes PALATINOS deprædicat.

EPOS.

COgnatæ Pindo, patriis jam non nova clivis
Numina, Pierides, ſacrâ ſacer ardor in æde
Quas tenet, arguto deſcribere ſingula verſu,
Et latera, & frontem ſeu quà per inania ſurgens
Æmula ſidereo ſe fabrica jungit Olympo;
Huc age turba levis! Lydio ſeu cincta cothurno,
Seu ſoccos induta breves, vicina reviſe
Tecta, tuâque ſimul dignum de Gymnade carmen
Concine: non unus vocat in certamina Pindus.
Túque ades ô Thymbræe Pater! tibi plurima noſtris
Geſtit littoribus frondeſcere laurea Daphne.
Fare, Palatinas quo Mecœnate per oras
Non Helicon unus ſurgat, non Phocidos unas
Bellerophontæus Sonipes tibi ſuſcitet undas.
Cùm fera terribili Diſcordia ſchiſmate terras
Diſtraheret, Germane! tuas, & ſcinderet orbem,
Heu mihi, quàm fœdo ſquallens Alemannia luctu
Spargebas inhonora comas! malè pulſa gemebat
Arctoas gravibus miſcens ululatibus auras
Relligio: jacuêre ſuâ cum Principe pulchræ
Unà Artes: cuncta informis vitiaverat horror
Barbariésque ævi: loca ceu per inhoſpita, triſtis
Nonniſi cum ſpinâ ſurgit paliurus acutâ.
Vix gracile indocto carmen ſtridore Palæmon
Cantabat raucis per frigida tesqua cicutis:
Ipſe in ſcabroſâ ſua carmina rupe docere
Viſus Apollo: vagæ montana per invia Muſæ
Sylveſtres leſſum dedimus reſonare per ornos.
Quid juvat injuſſos viti frondeſcere botros,
Spiciferámque arvis Cererem dare farris acervos,
Nî pariter doctâ cultus refloreat arte
Palatinus ager? veteris quorſum aureus ævi
Concidit ille nitor? Latiæ quò gloria linguæ,
Et quondam ſacro veneranda Scientia cultu?
Mecœnate opus eſt, atavis qui Regibus ortus
Regna fatiſcentis poſt luſtra reſuſcitet Artis,
Et malè neglectis redeat ſua forma Camœnis.

Con-

Mecœnate opus eſt. Non unus naſcitur imò
E Neoburgenſi, felix tibi Patria! ſtirpe
Mecœnas: porrò non artis egena Marones
Æmula depoſces, non docta Lycæa requires.
En tibi WOLFFGANGUM: Wolffgango Patre PHILIPPUM:
Mox duo Germani, quàm lucida ſidera! Fratres
Cum WILHELMO oritur CAROLUS: THEODORE nec illis
Parcior ingenuis, quæ per tua regna coluntur,
Artibus Auctor ades. Nec tu mihi lenta parabis
Tanta ſecuturo deſcribere facta nepoti,
Triplex Germanos habitans Provincia! tractus.
Dicite WILHELMOS, veſtros memorate PHILIPPOS
Juliaci Montes: nec *Marcodura* ſilebis,
Nec *Duſſeldorpî* quos Rhenus adultior arvis
Proluit, aut placidis perlabitur Alpha fluentis.
Quondam etiam lævo pulſis Mavorte JOANNEM
Profuit ultorem, quondam ſenſiſſe PHILIPPUM:
Haardenſes Nemetum per culmina dicite Muſæ!
Vóſque *Heidelbergæ* per myrtea teſqua ſorores.
Quæ tibi *Manhemium* nuper fera fata PHILIPPUM
Eripuêre? Illum hi lapides, hæc tecta loquuntur
Illum etiam lauri, Illum etiam flevêre cicutæ.
Laurea necte tuo THEODORO munera, Eois
Advena Muſa plagis! nova túque inſignia nuper
Docta Sophia! ferens tanto gratiſſima Phœbo
Aſtra inter, divásque locum circumſpice ſtellas.
At tu Lethæas, ſiqua eſt via, linquito ripas
Inter olorinos Phœnix Baldée! Poëtas:
Verte viam, rapidi quà littora cantibus Iſtri,
Amnicolásque olim ſalices germanicus Orpheus
Moviſti: Dic WOLFFGANGUM, qui primus in arma,
In ſacra pugnaces adduxit prælia Turmas.
Concine dona Ducum: tantis nam ſola Camœna
Par tua Principibus. Nos Mecœnatibus Iſtis
Quæ dare vota juvat, quæ munere digna precari?
Rhene celer propera quà cornua ponis adultus,
Oceanúmque Patrem, & glaucum Tritona ſalutas;
Túque ad Biſtoniæ celerans confinia Lunæ
Iſter! tanta Ducum geminos deferte per Orbes
Nomina: clara ſonet Neoburgæ gloria Stirpis,
Quâ matutinis ſol nubibus exit; Atlantis
Quà ſerò temone ruit moriturus in undas.

PARS III.

Societas JESU Sereniſſimis ſuis è Domo Neoburgico-Solisbacenſi-Palatinâ Fundatoribus, obeliſcos in Templo Gloriæ erigit, appensisque Eorundem effigiebus applaudit.

BASILICA CAROLINA

TEMPLUM HONORIS, ET GLORIÆ

DOMUS PALATINÆ.

INGRESSUS.

MAxima, quæ meritis Heroum facta coronis
Gloria magnificas, juſtis, precor, annue votis.
Stat turrita Domus, ſtat nubibus æmula, binis
Authores loquitur CAROLOS Carolina trophæis,
Fas nunc & reliquos celsâ de ſtirpe Nepotes
Pieriâ cantare tubâ, memorare triumphos,
Quos Diva Emeritis æterna per atria laudis
Gloria molitur. Túque O Domus alta vetuſto
Stemmate, cûi tantos clarum eſt peperiſſe Nepotes,
Túque Palatinus nutu cui vertitur Orbis,
Adſis O THEODORE! Tuos hæc ſæpè loquetur
Pagina Majores, ſæpè hîc Tibi Nomina Patrum,
Sæpè ſacer relegendus honos, quem vivus avitæ
Vultu circumfers Hæres virtutis, & ornas,
Annue, conanti per laudes ire Tuorum.
Jam ſummis perfecta tholis fuit ardua Templi
Fabrica, & impoſitâ micuit colophone per auras
Nominibus LOJOLA tuis, tibi fulgida Eoi
Lux FRANCISCE maris! Domus authorata: tepentes
Protinùs occulto ſubiit calor igne medullas
Formatam ad Superos deferre in imagine Templi
Effigiem, Divûm ante juvat conſiſtere vultus
Quaéque Palatini ſint munera tanta favoris,
Quæ pietas, poſitâ coram memorare tabellâ.
Aſſurgo: Lojolæi ſimul ignea cœtûs
Electoralis ſimul aurea ſigna Galeri
Fronte gero. Zephyrus leni ſpiramine (qualis
Dum ſudo vehit axe diem, aut placidiſſimus arva
Vere novo mulcet) tepidáque Favonius aurâ

Portitor aſpirat) liquidum ſuper æthera, mitis
Trans pluviæ regna, humentes & Orionis arces
Provehor: aſtriferos teneo novus advena tractus.
Mox qui Lojolidûm ſortes & fata tuetur
Ex alto Genius, venientem proſpicit. Ille:
Non te Fortuitus tulit huc per inania caſus,
Novi habitum, vultus novi, tua vota, tabellæ,
Et facies perſpecta mihi eſt. Tibi gratia fandi
Coràm erit, & ſacros Patrum ante aſſiſtere vultus.
Tu modò, quæ Ducibus NEOBURGA STIRPE perennis
Non ſcythico ſurgant de Jaſpide ſigna triumphi
Inſpice, viſa refer, paribúſque effinge lituris.
Multùm illis Divina Fides, rediviváque multùm
Romulidûm debet virtus, quis denique neſcit
Quantùm Lojolicis miſcentes prælia caſtris?
Hæc ubi dicta dedit, tua ſe domus aurea pandit
Gloria! & occidui Dea perpes neſcia fati.
Hîc operas jungunt, Heroúmque auſa coruſcis
Artifices fabri ſculpunt adamante pyropis,
Immortalis Honos, Tituli, pulcherrima Fama
Splendor, & æternâ ſpecioſi luce decores,
Et quæ ſæpè petens terras, cœlúmque reviſens
Gloria digna refert, fato ulciſcuntur & umbris.
Quondam adeò cœlos viſi illuſtrare profanis
Heroum ſignis, aſtríſque adjungere. Clarus
Inde polo Cepheus, & Caſſiopeïa Conjux
Gorgonis & Perſeus domitor, tuáque aurea fulget
Cæſaries Berenyce! olim quæ lucida ſigna
Sint natos manſura Tuos NEOBURGA PROPAGO
Incertum: an totidem vultu radiante planetæ
Axe inceſſuri, ſeu quà Sobieskia fulgent
Scuta, novum ſignent lactis de nomine callem
Zodiacúmne novum cœli per aprica daturi.
Hæc illis jubet intereà monumenta laborum,
Laudis & auguſtæ conſurgere Gloria. Juſto
Ordine per longam ſeriem ſe ſingula pandunt
Ora Ducum, vultus Magnorum habitúſque Heroum.
Prô! quàm mirificis ſplendoribus omnia fulgent,
Sic Aſtrorum ordo duodenus in æthere lucet,
Purpureos anno poſtes dum pandit ituro,
Veris Dux Aries præit: hunc ſua ſigna ſequuntur,
Raptor Agenoridis Taurus, cum Caſtore Pollux,
Cancer, & æſtivi flammantia terga Leonis.
Non ſecùs illuſtri fulsêre in imagine ſcenæ
Antiquâ de Stirpe Duces, Stirps alta Deorum.

EFFI-

CATHOLICUS
RELIGIONIS ET REGIONIS
VINDICATOR.



Non lupus, agnus erat Wolfgangus pro Regione et
Catholicâ Vindex Religione Domûs.

Ios et Ioan Klauber Cath. Scr.mi S.R.I. Pr. et Episc. Aug
Landgr. Haſsiæ Chalcogr. ſculps. Aug. Vind.

EFFIGIES I.
WOLFFGANGUS WILHELMUS
CATHOLICUS RELIGIONIS, ET REGIONIS VINDEX.

EXEGESIS HISTORICA.

SEreniſſimos inter Domûs Palatino-Neoburgicæ Duces Proto-Fundatorem Domiciliorum ſuorum complurium præprimis veneratur JESU Societas WOLFFGANGUM WILHELMUM Ducem Neoburgi. Hic illam, religionem etiamnum novellam in Palatinatum, quin & Aulam ſuam induxit, & ſinu quaſi ſuo fovit. Natus Anno MDLXXVIII. Philippo Ludovico Duce Bipontino-Neoburgico Patre, Matre Anna Wilhelmi Ducis Julio-Clivio Montenſis Filiâ hærede. Anno MDCXIII. MAGDALENAM Guilielmi V. Bavarorum Ducis filiam, ſponſam nactus eſt Catholicam, Romanis adhuc à ſacris alienus; at ſimul conthoralem Fidei orthodoxæ Magiſtram. Hujus & verbo, & exemplo Diſcipulus Dei non indocibilis, doctrinam veritatis didicit, & ſalutis, quam Anno MDCXIV. è Tridentini formulâ Duſſeldorpii publicè eſt profeſſus. Primus hic è Palatinis Rheni Comitibus in ſanctæ Matris Eccleſiæ gremium reverſus, cæterorum ad avitam Fidem Dux, & Anteſignanus; tractis in ſequelam Filiis, Nepotibus, ac Poſteris; nec non domeſticis ac ſubditis non paucis. Suſceptâ in Fide ceu murus aheneus, ſtetit immotus, nullis Parentum, Fratrum, Principum ac Statuum precibus, blanditiis, minis ac machinationibus vel quicquam commovendus; Malo, reponebat, vitæ millies, quàm ſemel agnitæ Religionis veræ jacturam facere, quam unam omni Paternâ hæreditate duco potiorem. Rationem orbi reddidit vulgato typis libro, cui titulus: Duodecim muri Civitatis ſanctæ, duodena Converſionis ſuæ motiva exponens. Ut Cives regione ſibi ſubditos, Religione ſibi pares redderet in Chriſto fratres, multùm ſudavit, plurimùm laboravit Zeloſus Religionis Vindex non minùs ac Regionis. Nam Patri eodem anno fatis functo, Neoburgico in Ducatu ſucceſſit; & poſt fata ultimi Julio-Clivio-Montium Ducis Joannis Wilhelmi, Avunculi ſui improlis, Matris adhuc ſuperſtitis, hæredis proximæ jure ac nomine, maternam ſibi hæreditatem vindex regionis aſſeruit, armorum primùm poſſeſſione, amicâ ſubin cum Competitore conventione. Anno demum MDCLIII. die XIII Calendas Apriles, Dux bellicoſus in pace requievit Princeps pacificus, Catholicus Religionis & Regionis Vindicator. Principis Sapientis, Juſti ac munifici elogium WOLFFGANGO WILHELMO, etiam ab adverſariis veritas extorſit. Pauperum Pater audiebat paſſim, & Orphanorum Tutor. Ferias à Curiis arcuit, & à Tribunalibus corruptelas. Jus ipſe dictavit, quotidianus Aſſeſſoribus Præſes, quibus viva fuit regula perpes Principis præſentia. Tria non admiſit: ſenſum in injuriis, luxum in epulis, in precibus curas. Religionem, ſæcularem è Palatinatu exulem, ad patrias reduxit aras; Templa vel excitavit, vel reparavit tricena: Parœcias urbibus conſtituit, Curionibus ſtipendia. Religioſis S. Franciſci Seraphici Patribus, Recollectis, & Capucinis, Miſericordiæ Fratribus; Carmeli ac Virginis Annuntiatæ Sanctimonialibus, Aſceteria condidit & Templa, quæ ſubmiſſis ex Urbe Sanctorum Lipſanis ditavit. De Magdalenæ Conjugis, Principis de Eccleſiâ & Societate JESU meritiſſimæ, conſilio auxilióque liberali, eâdem à Societate copias auxiliares petiit, adduxítque in ſocietatem militiæ Apoſtolicæ, ac partem prædæ animarum; de ſtipendiis, armis, annonâ & ſtativis liberaliter proſpexit: Neoburgi, Duſſeldorpii, Juliaci, Marcoduræ, Eiſlio-Monaſterii Templa, Collegia & Gymnaſia conſignavit, & conſtruxit; atque ita WOLFFGANGUS WILHELMUS Societatis JESU in terras Palatinas Introductor ac Proto-Fundator, Patronorum è Sereniſſimâ Domo Palatinâ primus, primas quoque & ætate, & merito gratias ſibi jure depoſcit, à Filiis Societatis, Palatinæ Domûs Alumnis devotâ ad aram & perpeti memoriâ proſequendus.

SYNODIA POETICA.

ÆTate, & meritis primas ſtatione tenebat
WOLFFGANGUS WILHELMUS. Hic eſt, quem cura Dearum
Sedula Cœlicolûm primævo in flore juventæ
Nutrivit. Spes in quantas adoleſcere viſus
Regnis! in quantas Fidei donatus avitæ!
Queis te Relligio votis, WOLFFGANGE! popoſcit?
Nate, meæ curæ, dixit, Tu redditus unus
Afflictæ lenimen eris, Tu mille reduces
Diſſidio heu! triſti ſciſſos ab ovilibus agnos:
Inde auras gemitu, celſum prece pulſat Olympum.
Adfuit immodico miſerata Pronæa dolori:
Connubii nexu ſtat deſpondere jugali
WOLFFGANGUM Fidei (quondam in genialia viſi
Fœdera conſpirare Fides, placidúsque Hymenæus)
Ergò age, Diva inquit, Bojæ penetralibus Aulæ
Mox Hymenæe ſubi primò, quà fulget honore
Auſonidûm integritas nunquam temerata Sacrorum:
Surge, ſacras, age, ſparge faces, tædásque: pudicis
Boica Nympha Duci ſocietur aduſta favillis.
Ocyor ille volat: tacito ſine ſenſibus igni
MAGDALIS exardet, nec tu Lucina vetabas;
Connubiale ambos fœdus conjungit amoris.
Non ſecùs æthereis gradiens Dea pallida campis
Luna maritatur fratri quondam æmula Phœbo.
Mutua jámque parat WOLFFGANGO incendia Conjux,
Et ſacros ſponſo feliciùs implicat ignes,
Amphytrioniadæ quàm Deianira ruenti.
WOLFFGANGUS Fidei de luce accenditur. Ille
Protinùs ut circùm colluceat ignibus omnis
Ucalegon (gelidis nam ſæva Megæra colubris
Induxit ferale gelu, fideíque tenebras)
Accerſit natas in prælia ſacra Phalanges,
Terribili JESU ſub nomine ſigna ſequuntur;
Ignem oculis, ignem ore ferunt, incendia miſcent,
Vulturióque frequens cadit ungui extorta rapina.
Sic nova WOLFFGANGUS Phäeton incendia terris
Intulit, & reliquos Dux ad ſacra patria primus
Anteit: ut, ſi parva licet componere ſummis,
Cornua Phryxæus dum ſignifer aurea tollit,
Quà via facta, ducem ſua protinus Aſtra ſequuntur.
Inde & ſidereis nova lux intermicat aſtris.

RELIGIOSUS
PRO LEGE, ET GREGE
PROPAGATOR.



Et Gregis et Legis Propago, Paterque Philippus
Felix Imperii Murice, Prole; Domo.

[illegible]

EFFIGIES II.
PHILIPPUS WILHELMUS
RELIGIOSUS LEGIS, ET GREGIS
PROPAGATOR.

EXEGESIS HISTORICA.

AQuila Aquilam generat, non columbam; neque niſi intrepidum Leonem genuiſſe poterat Leo Palatinus, WOLFFGANGUS WILHELMUS, PHILIPPUM WILHELMUM ex primo cum MAGDALENA Bavarâ Connubio. Lucem is primam aſpexit Neoburgi Anno MDCXV. die VII. Cal. Dec. Paternæ Religionis, & Regionis Hæres, Adoleſcens virtutibus, ſcientiis, & equeſtri diſciplinâ exercitatiſſimus. Primis in thalamum nuptiis Anno MDCLI. ANNAM CATHARINAM CONSTANTIAM, SIGISMUNDI III. Polonorum Regis Filiam induxit; quæ Regias inter Gazas D. STANISLAI KOSTKÆ Cranium è Poloniâ Neoburgum attulit. Cujus in favorem non poſtremi Polonorum Magnates ſecundò conſpiraverant, Regio ſolio vacanti PHILIPPUM WILHELMUM impoſituri, niſi altior Providentia, Germano reſervâſſet Imperio Electorem. Extinctâ namque cum CAROLO Simmerenſium Ducum lineâ Anno MDC LXXXV. Electoratûs Palatini hæreditatem adiit, & Electoralem Archi-Theſaurarii Dignitatem in Domum Neoburgicam primus invexit, quam à Cæſare clientelæ nomine recepit; nec ſine bello, lite demum ad Apoſtolicæ Sedis arbitrium diremptâ. Funeſtas inter belli injurias Princeps Pacificus, & publicæ Imperii ſaluti intentus Elector, ſuo, ex ELEONORA, Auguſtâ Filiâ Nepoti, ac LEOPOLDI M. Cæſaris Filio JOSEPHO, Regis Romanorum Diadema ſuffragio ſuo aſſeruit, Archi-Theſaurarii officio functus Auguſtæ Anno MDCXC. Controverſiam hæreditatis Julio-Montanæ compoſuit moderatiſſimi animi Princeps, ſummæ prudentiæ, nec minoris clementiæ præconio clarus. Muſarum Fautor erat beneficentiſſimus, earúmque ad ſubſellia, in Actibus Academicis ſe demittere, frequenter dignatus. Catholicæ Religionis ſuis non tantùm in Provinciis tuendæ, ſed inſuper latiùs proferendæ ſtudioſiſſimus; unde & Religioſum Legis Orthodoxæ Propagatorem *merito ſuo pronunciamus. Heidelbergam Metropolim ſuam Palatinam primùm ingreſſus, Templum D. Jacobi excitavit, P. P. Capucinos induxit; Calendarium Gregorianum in Palatinatum invexit: Ædem Concordiæ Friderico-burgi, hodie Manhemii, Orthodoxis aperuit; æris Campani & Cæmeterii uſum illis communem aſſeruit. Secundo, imò ſecundiſſimo, quia fœcundiſſimo Thoro, cum ELISABETHA AMALIA, Landgraviâ Haſſo-Darmſtadianâ, à nuptiis proſelytâ, decies ſepties puerperâ, numeroſam non minùs, ac glorioſam ſobolem Eccleſiæ genuit, & Imperio, Coronis & Infulis Illuſtriſſimam; congratulantibus, & in partem lætitiæ venientibus maximis Europæ Principibus; Filios Eccleſiis Metropolitanis, Moguntinæ, Trevirenſi, Colonienſi; Cathedralibus Argentinenſi, Auguſtanæ, Brixinenſi, Conſtantienſi, Eyſtadianæ, Leodienſi, Monaſterienſi, Paſſavienſi, Tridentinæ, Wormatienſi, Wratislavienſi Archi-Epiſcopos dedit, Epiſcopos, Adminiſtratores, Coadjutores, Chori-Epiſcopos, & Prælatos; ſupremos denique Equeſtri Teutonum Ordini Magiſtros. Filias auguſtiſſimo conjugio elocavit LEOPOLDO M. Romanorum Imperatori, PETRO III. Regi Luſitaniæ, CAROLO II. Regi Hiſpaniæ; Regio Polonorum Principi SOBIESKIO, Ducibus Farneſiis &c. glorioſiſſimus Cæſarum ac Regum Socer. Diem ſupremum egit Viennæ Anno MDCXC. dives meritis, annis & gloriâ, in Eccleſiâ, & Imperio. Nec ſibi, nec Prolibus alios voluit ſcientiarum, conſcientiarúmque Moderatores, quàm Patres Societatis. Hanc poſt motus Bohemicos à Maximiliano Bavaro Heidelbergam introductam, rursúmque ejectam, reduxit, ac pro fundando illi Collegio Parthenonem Nicaro-Neoburgicum cum Cathedris Academicis deſtinârat; fatis autem præventus ſucceſſori & Hæredi Filio Tabellis ultimis commendavit. Neoburgici ad Danubium Collegii Fundationem ratam habuit, & ampliavit. Düſſeldorpiano proventus auxit, templúmque dotavit; Marcodurano, Miſſionibúsque Elverfeldiæ, Solingæ & Ravenſteinii, ære, lignis, annonâ ſuccurrit, Maximi & munifici animi Princeps, multiplici, non uno ex nomine, coronâ dignus beatæ immortalitatis.*

SYNODIA POETICA.

LUx nova, lux grandis WOLFFGANGUS in æthere: Patre
Dignus ab hoc naſci, WOLFFGANGUM ponè, PHILIPPE
Te propior WILHELME! offers; aſſurgite Muſæ!
Siqua valet docto vis enthea pectine, tantum
Concelebrate Ducem, primo cui digna per artus
Purpura Romuleo fulſit ſpectabilis oſtro,
Nata Novem-decorare-viros. Prô! quantus in ignes
Exardet! ſuperæ quæ jactat fulgura flammæ!
Quantùm cœleſtes inter ſpecioſior ignes
Lucidior Tauri de lumine flamma coruscat;
Tantum alios inter, primus WILHELME refulges
Elector. Nec ſi Cocyti linqueret undas,
Mœonius digno celebret Te carmine vates.
Fraude Philippæi tentabat pectoris arcem
Error: ſuppetias furor attulit; arjete pectus
Haud uno pulſant: ſed pectoris ægide quantâ
In nova ſurgentem certamina contudit hydrum
Fortior Alcides? proſpexit ab æthere, lauri
Pro ſertis Pietas dedit officioſa Galerum.
Mox iterata notant Te vota PHILIPPE, Poloni
Rectorem Regni, ſi provida fata probâſſent;
At Te Germano celſi moderator Olympi
Deſtinat Imperio columen: Germania faſtis
Hæc ſero documenta refert per ſæcla Nepoti:
Antiquæ mihi WILHELMUS fortiſſimus unus
Extitit aſſertor Fidei, patriásque per oras
Protulit: ille novo fecit revireſcere cultu
Palladias artes; & veſtra Heliconides! inter
Doctus Mecœnas viſus conſidere Tempe:
Ille Anni, Solísque vias dedit ordine recto
Per Palatinas porrò decurrere terras.
Non ita dum ſuperis auratâ cyclade campis
Nox Dea progreditur, facibus diſcriminat axem,
Ut mihi Teutonicum pretioſo ſidere Cœlum
Collucere dedit; Thalamo felice ubi denas
Septem ultra ſoboles ſoliis dedit, atque Tiaris,
Dicite, Germani quantum Imperii incrementum!
Illæ te meritâ nunc luce PHILIPPE coronant,
Lucem augendo tuam; ceu quondam undena Canopi
Sidera Proregem prono fulgore ſalutant,
Aut tremulæ Phœbi reverentur lumina ſtellæ.

EFFI-

MAGNANIMUS PRO ARIS ET FOCIS DEFENSOR.



Tutor Magnanimus Wilhelmus Numinis aris,
Próque focis patriæ, próque Parente Domo.

Jos. et Joañ Klauber Cath. Ser.mi S. R. J. Pr. et Epi. Aug. Landgr. Haſsiæ Chalcogr. Sculps. Aug. Vind.

EFFIGIES III.
JOANNES WILHELMUS
MAGNANIMUS PRO ARIS, ET FOCIS DEFENSOR.

EXEGESIS HISTORICA.

SI vulgari Poëtæ adagio: Non procul à proprio ſtipite poma cadunt, ſua uspiam ſtetit veritas, id profectò Neoburgico contigit in horto. Ab uno PHILIPPO WILHELMO, glorioſo numeroſæ ſobolis Parente, Neoburgici ſtemmatis traduce, plurima poma Ducalia ſunt progenita, ſummis orbis Europæi coronis Auguſta. Ex fructibus noſcitur Arbor. Ex his JOANNES WILHELMUS, Primus in lucem editus, ex ELISABETHA AMALIA Düſſeldorpii, Anno MDCLVIII. die XIII. Cal. Maj. Pulcherrimis, pro Natalium dignitate, ſcientiarum diſciplinis adoleſcentiam ornabat ſuam, in exterorum Principum aulis acceptiſſimus Hoſpes. In Patriam redux ad publicæ rei, populorúmque gubernationem à Parente Sereniſſimo formatus, ea fecit ſapientiæ incrementa, ut habenas illi Julio-Montanas tutò concrederet. Prima Nuptiarum ſolemnia celebravit Neoſtadii in Auſtriâ, cum MARIA ANNA Archi-Duce Auſtriacâ, Ferdinandi III. Cæſaris Filiâ: ex quâ bis Matre, maſculas, ſed brevis vitæ proles ſuſcepit; nullas verò ex ANNA Mediceâ, COSMI III. Magni Ducis Hetruriæ Natâ, Conjuge alterâ. Anno MDC XC, in Patris demortui dignitatem Electoralem ſucceſſit hæres. Maximi, & intrepidi animi Princeps; talis pro aris ſtetit, causâ Religionis; pro Patriæ focis multa fecit, tulítque, Cæſari fidus, & Imperio; maximè in vindicandâ Archiducali Domui amplâ Monarchiæ Hiſpanicæ hæreditate, miſſo in Cataloniam, Belgium, Rhenique tractum milite copioſo. A LEOPOLDO M. Civis optimi, & ſororii fideliſſimi, â JOSEPHO I. Avunculi devotiſſimi; â Musâ noſtrâ Magnanimi pro aris ac focis Defenſoris *honoratus elogio. Equeſtrem S. Huberti Ordinem â GERARDO Juliæ Duce Anno MCCCCLXIV. inſtitutum, priſtino ſplendori reddidit, ac privilegiis ampliſſimis ornavit. JOSEPHO I. Nepote Auguſto, Imperatoriâ dignitate perfuncto, VICARII per Imperium munus tenuit ſapientiſſimè, in ſolenni CAROLI VI. Inauguratione ARCHI-DAPIFER idem & Elector. Quidquid controverſiæ, finitimis cum Statibus Domui Palatinæ interceſſerat, amicè compoſuit, & publicæ per Imperium tranquilitatis ſtudio, Archidapiferi dignitate ſe abdicavit, cum Palatinatu Bavarico. Collegii Heidelbergenſis alter colitur cum PHILIPPO WILHELMO Patre Author; quæ teſtamento tam Paterno, quàm uxorio continebantur, pro Collegii incremento executus prolixè ac munificè; cui excitando plura florenorum millia, primâ â Conjuge MARIA ANNA Auſtriacâ Provinciæ S. J. ad Rhenum ſuperiorem piis tabulis legata, applicuit; Spatium capax & commodum pro Templo & Collegio præſens ipſe deſignavit. Parthenonem Neoburgicum proximè Urbem, ab annis centum diſſolutum, dotis loco & pro ſtabili annonâ adjecit; Cathedríſque in eâdem Academiâ Muſis clariſſimâ, Theologicis, Philoſophicis, & Canonicâ, inauguravit. Miſſionem de pœnitentia in Palatinatum introduxit, vagam primùm, nunc fixo Ingelhemii utentem domicilio; cujus conſervandæ propagandæque ſtudio Sereniſſima ejus Vidua Medicea, duos quotannis Miſſionis Candidatos, è Societate, ſuis Romæ aluit impenſis. Largis adeò ſuppetiis Miſſionibus Sinicis Princeps munificus non defuit. Societatem Neoſtadio ad Hardam ab Hiſpanis olim invectam, ſed Marte irreligioſo ejectam, reſtituit, déque proventibus annuis providit liberaliter. Collegio Neoburgi Gymnaſium exſtruxit; Düſſeldorpiano inſulam Rheni donavit; Marcodurano, in factas quovis modo donationes conſenſit; Miſſionem Elverfeldicam confirmavit; Ravenſteinianam ampliavit, Julio-Montanam excitavit, ac ſtabilivit, tribus Germaniæ Provinciis Parens, & Evergeta meritiſſimus. Vivere terris desiit, ubi cœpit, Düſſeldorpii Anno MDCCXVI. die XI. Idus Junias, in temporum faſtis virtute ſuâ; devotiſſimâ ſuî recordatione, in Filiis Societatis nunquam intermoriturus.*

SYNODIA POETICA.

PRogredimur: nova ſpecto novi monumenta triumphi.
Tyndarides Gemini, dulciſſima ſidera, Fratres,
Pollux & Caſtor; tecum WILHELME JOANNES!
Germanus fulget patrio de ſanguine Pollux.
JOANNES WILHELMUS, Hic eſt, cui fronte relucet
Grandis naturæ cœleſtis portio. Tantæ
Cùm tenerum menti natura Promethea corpus
Conderet, æthereæ ſpiracula vivida flammæ
Addidit, innocuóque agni cum lacte, Leonis
Quadrupedum Regis lac miſcuit; inde potentes
Magnanimus vigor & clementia lapſa ſub artus.
Tantum tanta decent; poſcunt hæc turbida tantum
Luſtra Ducem. Arma fremunt patriis in finibus, arma
Concrepuêre foris: Scaldis Rhenúſque rubentes
Vortice purpureo fluctus, galeáſque volutant.
Nil pavet, intrepidas WILHELMUS in arma cohortes
Cæſari in auxilium movet, occurítque periclis.
Pòſt olli Centum dirâ movet arte labores
Surgens exuviis Error (conciſa recenti
Vulnere ſic Lernæa novum parit hydra Colubrum)
Ferales coëunt nubes, fremit horrida nimbis
Tempeſtas: gemuit raptas ſine crimine ſedes
Relligio: ſed enim exoriens dedit omnia Caſtor;
Luce ſub hâc placidi diſtendite carbaſa nautæ!
Magnanimâ intrepidus conſurgit mente JOANNES
WILHELMUS, patriis ultor fortiſſimus aris:
Ille etiam veteres, ſi fors ita fata tuliſſent,
Ille novus patrias Priamus moriturus ad aras.
Error, cede loco! dixit; ſtygiaéque reviſens
Antra Domûs, priſcis loca cedito priſtina ſacris.
Vóſque ô, quos noſtris pepulit Mars lævus ab oris
Lojolidæ! multos fidei, queis cauſa labores
Obtulit, in veteres placidi remigrate penates:
Nec vos tam ſacri faſtidia lenta laboris
Unquam corripiant; ſeu clauſas mœnibus urbes,
Seu villas luſtrare juvat, per & oppida ſparſos
Ruricolas, ſummi leges docuiſſe Tonantis.
Tum Sinicos, fidei causâ, repetentia portus
Vela pium ſequitur ſidus; curſúque peracto
Occidit, & nigris Lethi demergitur undis.
Fallor: ſtelliferas lucet translatus in oras.

EFFI-

PIUS
PRO ECCLESIA ET IMPERIO
ZELATOR.



Zelator Pius et pro Sanctâ Eccleſiâ, et Almo
Imperio Carolus, Dux ſine fraude bonus.

[illegible] pinxit

[illegible]

EFFIGIES IV.

CAROLUS PHILIPPUS

PIUS PRO ECCLESIA, ET IMPERIO ZELATOR.

EXEGESIS HISTORICA.

PAr nobile Fratrum Caſtor & Pollux, ſereniſſima cæli ſydera. Caſtori merſo in occaſum, ortu ſuo ſuccedit Pollux, JOANNI WILHELMO terris per fata ſubducto, Palatino in Horizonte ſucceſſit Frater Germanus CAROLUS PHILIPPUS, Elector ab eodem proximus. Ortu ſuo Domum Avitam beavit Neoburgi ad Danubium, Anno MDCLXI. pridie Idus Novemb. Navatâ Muſis inſigni cum profectu operâ, omníque virtutum ac ſcientiarum genere inſtructiſſimus Adoleſcens, oblata ad Aras Metropolitanas decora, armorum gloriæ conſecravit. Contra Turcas Deo militavit in Hungariâ, Legionis Equeſtris Præfectus; Cæſari ad Rhenum: ubique glorioſa reliquit virtutis intrepidæ veſtigia, in præliis, in expugnationibus. Probata Cæſari, Auguſtæque Domui fides vicarium Tyroleos meruit regimen, â LEOPOLDO M. Sororio Auguſto, CAROLO PHILIPPO creditum, mitiſſimâ indole, & Regiâ lenitate Principi; cui, difficile dictu eſt, utrùm majore præfuerit æquitatis, manſuetudinis, & prudentiæ laude, an civium amore. In primam thalami ſocietatem LUDOVICAM adlegit CAROLAM, BOGISLAI, è Regio Polonorum ſanguine Principis Radzivilii Filiam; exquâ ternis cum prolibus præmaturè extinctis, ſuſcepit ELISABETHAM AUGUSTAM, Patris, & Palatini orbis delicium, Sereniſſimæ Dominæ noſtræ, hodiernæ Electricis Palatinæ *Matrem. Nuptiis ſecundis THERESIAM ſibi adjunxit, Joſephi Caroli, Principis Lubomirskii genitam, geminæ prolis Matrem, ſed quæ ſine prole Patrem reliquêre. Ab obitu Fratris Germani Anno MDCCXVI. ad Electoratûs Palatini gubernacula ita acceſſit, ut profanis pro Imperio curis, ſacras pro Orthodoxâ ſimul Religione adjungeret Princeps Catholicus: pro quâ in terris ſubditis non tuendâ modò, ſed & propagandâ quanta egerit, quanta pertulerit, quantùm ſacerrimâ exempli vi illuſtraverit, & auxerit, Elogium, ſi lubet, adi ſuprà poſitum, ac lege ſingula, per folii anguſtias hìc non repetenda. Heidelbergenſi Collegio Profeſſorem addidit alterum, qui præter Matheſeos theoremata, caſus ſimul conſcientiæ dubios, Moralis Theologiæ prælectione expediret. Novam ibidem Gymnaſii Humanioris fabricam promovit: Seminario Carolino ſuo ædes peculio comparavit, domeſticóque inſtruxit apparatu. Neoſtadii Nemetum, factam ab Anteceſſore Reſidentiæ, nunc Collegii erectionem confirmavit, Tabulis publicis roboravit, ſpatiúmque pro ædificio amplius conceſſit. Collegio Oenipontano reditus auxit; Düſſeldorpiano Miſſionem Honffenſem conſtituit; conditi ab ſe dotatíque* Sacelli *Lauretani curam eidem detulit; Embricenſi Præbendas caducas ſuſcitavit; omnes ferè Societatis per Palatinam ditionem Eccleſias inſigni ornavit, nec ſumptuosâ minùs ſupellectile. Mannhemii in Urbe ſuâ, quam ſtruxit, ſedémque elegit Electoralem, Collegium cum Gymnaſio ampliſſimum privato ære ædificavit & fundavit; Idem ipſe munificentiſſimus Carolinæ noſtræ Baſilicæ Auctor; quam DD. Jgnatii, Societatis noſtræ Parentis, & Franciſci Xaverii Indorum Apoſtoli votivæ memoriæ ſacram, primis â fundamentis inchoavit: in fata ſubinde ſanctè concedens, impoſito faſtigio abſolvendam reliquit pietatis dignitatíſque Hæredi æmulo, Sereniſſimo Succeſſori. Fundos omnes, cenſus, privilegia, donationes â Sereniſſimâ Domo Neoburgicâ Societati clementiſſimè collatas, Anno MDCCXXVIII. Authoritate Pontificiâ ac Cæſareâ in perpetuum fecit ſtabiliri: quam gratiarum omnium coronidem CAROLO PHILIPPO demiſſiſſimè in acceptis refert Provincia triplex Rheni utriusque, & Germaniæ ſuperioris. Vitam cum anno clauſit anno MDCCXLII. pridie Cal. Jan. Octogenario major, annis, meritis ac virtutibus cælo maturus; atque ad requiem feſtinavit, quam devota Ei Societas ſempiternam precatur, & exorat.*

SYNODIA POETICA.

OCcidit: alterno ſurgit radiare nitore
Succedens Fratri Pollux. Te cerno PHILIPPE
CAROLE! Queis natura genus, nunc arbitra dignos
Gloria ſidereæ partitur lucis honores.
Quantus prô adſtas! placidâ hinc redimitus olivâ;
Martius inde ignis, clypei, lauríque virentes:
Olim paciferis ſic jungere doctus olivis
Pulchras ardebas per Martia prælia lauros.
Ad Rheni ripam pulchris, ceu Turnus in armis
Belliger ut volitas, vaſto de flumine Rhenus
Ipſe Pater, viridi glaucum caput extulit ulvâ,
Extulit & ſtupuit, rapidóque citatior amne
Reddidit oceano, feſtinus nuntia Patri.
Cornua Turcarum fugiebant pallida Lunæ,
Auſtriaci quando Jovis armiger, Hunnica fulmen
Portabas per caſtra, redux bellator onuſtus
Odryſidûm ſpoliis; at nunc Te mitis opacæ
Umbra oleæ juvat, & pacatæ tegmina frondis.
Rectorem timidis animata cacumina damis
Te cupiunt: nutu illa tuo juga viſa moveri.
Mox etiam ùt patrias manſuetus flectis habenas!
Nubila bellorum DAVID poſt horrida dîxti:
Sat Martíque armíſque datum; procul eſte profani:
Hæc nunc una meæ reſtat pretioſa ſenectæ
Gloria, laurorum hic cumulus, ſacrata Tonanti
Ut noſtris ſurgant curis faſtigia Templi.
Dixit, & immoritur tanto manſuetus ùt olim
Jeſſiades operi: auratis hoc jaſpide ſcripſit
Relligio ſcalpris, æternos ſervat in annos.
Conſtiti, & aſpexi tanti chara ora Parentis:
O Pollux, Caſtor! fauſtiſſima Sidera! dixi:
O ſemper veſtras alternis ite, redite
Uſque viis terras, ſubjectam viſere gentem!
Mox etiam illius triſtiſſima lucis imago
Occurrit, dirâ CAROLUM quæ ſorte PHILIPPUM,
Eripuit: Lacrymis jam penè rigantibus ora
Vix paucos dederam ore ſonos, tum plura parantem
Increpuit Tutor Genius: non luctibus iſte
Conveniens locus eſt, non iſta trophæa: rigentes
Huc oculos, huc imò animum converte, Tuóque
Quæ ſurgant CAROLO THEODORO, ſuſpice ſigna.

EFFI-

MAGNUS
PRO DEO, ET POPULO
ÆMULATOR.



Magnus Magnorum Carolus Theodorus Avorum,
Pro Populo Princeps Æmulus, atque Deo.

EFFIGIES V.

CAROLUS THEODORUS

PRO DEO, ET POPULO

MAGNUS MAJORUM SUORUM ÆMULATOR.

EXEGESIS HISTORICA.

QUantum virtutis Heroicæ in Auguſtis Neoburgicæ Domûs Majoribus Muſa noſtra mirabatur hactenùs diſperſum; tantum in Magno tantorum Heroum Nepote, velut in compendio veneratur collectum. Eſt is Sereniſſimus Princeps noſter, & Elector Clementiſſimus CAROLUS THEODORUS aviti ſanguinis Hæres & virtutis, viva Proavorum imago; quos ſequi non contentus, anteire etiam contendit, & magnis paſſibus ſuperare: meritò proin â nobis laudatus, Magnus Majorum ſuorum Æmulator. *Vitalem lucem aſpexit Bruxellis, Anno MDCCXXIV. die VII. Idus Decembris; Patre progenitus, JOANNE CHRISTIANO Duce Solisbacenſi; Matre MARIA ANNA, FRANCISCI EGONIS Principis Arverniæ, & Marchionis Montium ad Zoomam Filiâ Hærede. Hâc orbatus fato præcoce, â Proaviâ omni pietate educatus, & eruditus literaturâ, ſcientiis, linguis, iisque, quæ Principem decent, diſciplinis. Anno MDCCXXXIII. Optimo Parenti è vivis erepto ſucceſſit Paterni Ducatûs Rector. Decennis à Magno ſuo Avo, CAROLO PHILIPPO, Electore Palatino, translatus Manhemium in Aulam, virtutis & Sapientiæ ſcholam, artis regendi tyrocinium ita poſuit dexterè, ut digniſſimum judicaret, qui ſponſam ferret ELISABETHAM AUGUSTAM, primogenitam ſuam ex ELISABETHA AUGUSTA Filiâ unicâ, & JOSEPHO CAROLO, Duce Solisbacenſi, Neptem, quam & eidem Anno MDCCXLII. die XVI. Cal. Febr. auſpicatiſſimo deſpondit connubio. Felix Princeps Domui Palatinæ intulit inſigne Matris patrimonium Marchionatum Zoomo-Montanum. In ſucceſſione Ducatûs Julio-Montani â ſæculi ſpatio litibus implicitâ, ipſo feliciſſimo deſponſionis anno poſſeſſionem quietus adiit, Potentiſſimo Boruſſorum Rege, juribus omnibus cedente in CAROLUM THEODORUM, ejúsque ſexûs utriûsque Poſteros; pro quibus & Statuum fidem jure adſtrictam jurando ſolenniter excepit. Eodem anno, cujus lætiſſima erant â Principali conjugio exordia, finis luctuoſus, â Sereniſſimi CAROLI PHILIPPI funere, pridie Calend. Januarias Faſces Palatinos hæreditario jure ſuſcepit, ELECTOR è DOMO SOLISBACENSI PRIMUS, eósque hodie ſummâ cum pietatis, Sapientiæ, Juſtitiæ, ac Clementiæ laude moderatur, ad multos (quod Boni precantur omnes) annos! Princeps maximi animi, ſimul & moderatiſſimi; Patriæ incolumitati unicè intentus, quam in turbidis etiam bellorum motibus ſecuram reddidit. Electoralis Dignitatis primos Deo conſecravit aditus, Regiminis Ducem exoraturus Sapientiam, primum ex Aulâ egreſſum ad Sedem Sapientiæ direxit in Ædem Oggershemii Lauretanam. Eodem ſæpiùs per annum inviſit, VIRGINIS cultor frequentiſſimus, etiam, rariſſimo exemplo pedes, oblato veſtiendis aris, & Sacerdotibus pretioſo apparatu liberalis; Sanctiſſimum Virginis Sponſum, Chriſti Nutricium, D. JOSEPHUM, Palatinatui Patronum ſolenniter nominavit, ac Defenſorem. Manhemium in Noſodochium Religioſos de Miſericordiâ F. F. induxit. Academiam Heidelbergenſium, novo ſplendore auxit, additâ Philoſophiæ, quam experientem dicunt, prælectione; cui & Inſtrumenta non pauca, quæ ſcientiæ hujus anima quædam ſunt, ab arte rariſſima & pretio, Principali adjecit largitate. Collegio Manheimenſi fundos, donationes, gratias, jura, privilegia, indulta ab Anteceſſore collata ſtabilivit, atque uberiora contulit. Incboatam ab Eodem, quam deſcripſimus, Eccleſiæ fabricam magnificam ac ſumptuoſam, ſuppeditatâ impenſarum vi maximâ, difficillimis temporibus continuavit, ad apicem perduxit, ac ſacrâ dote locupletavit. Surgenti Heidelbergæ Carolino Seminario munificè adfuit; Alumnos Clericos pro inferiore Palatinatu ſenos, binos pro ſuperiore dedit, unà cum Linguarum Orientalium Profeſſore. Neque ceſſat largiſſima Electoralis beneficentiæ vena etiamnum hodie in Societatem effundere ſeſe, ut Fundatorem illa ſuum & Patrem amantiſſimum non ſentiat cum CAROLO PHILIPPO ereptum ſibi; ſed in CAROLO THEODORO gaudeat duplici Patris ſpiritu ſuſcitatum, Eúmque ſibi optet, atque exoret immortalem.*

SYNODIA POETICA.

CAROLUS ecce Tuus THEODORUS! Phœbus in auge,
Æſtiferi quà ſe torrentia brachia Cancri
Pandunt, & Palatini de ſtirpe Leonis
Cognatus Leo flammiferos vomit ore calores.
Fulgura, ſiſto procul, nec enim propiora ferebam,
Longéque oſtenſos tremulo haurio lumine vultus.
Regia SOLIS erat, ſublimibus alta columnis,
Clara micante auro, flammáſque imitante pyropo
Gloria cœlârat ſcalpro tractúsque paternos,
Rhenúmque, & rapido quà gurgite rura pererrat
Palatina, Iſtrum: Rhenus conſpectus & Iſter
Imperio miti famulum curvare tridentem:
Arvorum inde Dii; Sylvæ rurísque Potentes
Campus habet Nymphas; botris felicibus uvæ
Frondent, annonaéque graves curvantur ariſtæ;
Juſſa ſed hinc dociles Pax & Bellona capeſſunt,
Sortibus alternis bellorum aut claudere, lege
Seu juſtâ reſerare fores, & mittere in orbem.
A dextrâ læváque dies, & menſis & annus,
Et centum placidi ſigna internuncia fati.
Deſuper antiquo Crux, Stella, & Pileus, Oſtrum
Sculpta ebori fulgent: SOL CAROLUS eſt THEODORUS,
Ipſe Palatinis optato munere terris
Et nunc imperitans: ſed enim jam prævia virtus
Emicat in ſimili per ſacra parelia vultu.
Euge ô Sol noſtris exoptatiſſime terris!
Poſt adeò tetras repetito funere noctes
Sol novus exoriens, atavis de ſolibus ortus
Solis de *Rivo;* quâ lux, ceu limpida manant
Athereo fluxu, cryſtalli è fonte fluenta.
Zoômanis ortus de *Montibus*, igneus aureôs
Ut primùm extuleras vultus, reſerare notata eſt
Purpureas Aurora fores, Horaéque ſorores
Phœbeos mandant feſtiviùs ire jugales.
Cælicolæ aſſurgunt, tantos mirantur in ortu
Splendores Divæ: lætos exordia ſignant
Clara dies, ſoles ſpondent ſine nube ſerenos.
Altiùs aſſurgit, populíſque oſtenditur ardens
In ſolio Phœbus, claris lucente ſmaragdis.

CAROLUS

CAROLUS Elector. Genialibus ebria plaudit
Patria lætitiis. Nunc, nunc lætiſſima current
Tempora. Sole ſub hoc non dura aconita colonus,
Non ſterilem effœtæ queritur telluris arenam.
Liber agens celſo tigrides de jugere Niſæ
In patrios colles; gravidis infarta maniplis
In patrios deſcendit agros Saturnia Eleuſis.
Fauſta ſibi lætus canit hoc ſub ſidere paſtor,
Dumosáque procul pendentes rupe capellas
Projectus viridi, paſcentes ſervat in umbrâ,
Lanigeróque gregi blandâ modulatur avenâ.
Cultor agri tutas agit hoc ſub ſidere meſſes,
Et placidus tanto cantat ſub Apolline Vates.
Ipſe ſuus Divûm Templis redit atque Tonanti
Inſtauratus honos; CAROLINA uberrima teſtis.
Ipſa etiam, ſi certa tenent oracula vatum,
Ipſa ſub hoc Phœbo veterum ſeſe aurea pandet
Ætas, Saturno regnata, ubi ſaucia nullis
Tellus vomeribus fruges inarata ferebat;
Quâ Pietas, quâ priſca Fides, Concordia, rerum
Felix Ubertas, niveis Pax aurea bigis
Imperium tenuit, placidum dominata per orbem.
Flumina tunc etiam ambroſiæ, tunc nectaris ibunt,
Et Palatinæ peragent læta otia gentes,
Aurea mirantes poſt ferrea, Numine tandem
Sæcula propitio Rheni rediiſſe ſub oras.
Patria fatidico capit omen fota calore;
At vicina ſtupent THEODORUM Regna; decore
Aucta novo tantum Germania ſuſpicit aſtrum.
O ſemper noſtro Sol illuſtriſſimus axe
Quà Palatinus metas protendit Horizon,
Felices ſpargas radios! non Heſperus unquam
Nunciet occaſum, & flendæ confinia noctis.
Jane bifrons! anni tacitè vertentis origo,
Ævi priſca ſcaturigo, per ſæcla perennis
Qui rerum alternos occaſus cernis, et ortus,
Ipſe ſenex ſemper Juveníſque! o nobile nunquam
Hoc mergi videas Lethæis fluctibus aſtrum;
O nunquam umbriferâ radiantia lumina condat
Nube, ſed æternam, nullâ caligine, lucem
Spargat, quà medium curſu partitus olympum
Proijcit exiguas Titan altiſſimus umbras.

O EFFI-

EFFIGIES VI.
ELISABETHA AUGUSTA
MAGNA DOMUS, ET PATRIÆ MATER.
EXEGESIS HISTORICA.

QUos altior cœli Providentia ſacro junxit connubii vinculo, eâdem carminis ſocietate Muſa devotè proſequitur; CAROLO THEODORO AUGUSTAM ſocians ELISABETHAM, Sereniſſimam Dominam noſtram, è lectiſſimâ Sororum, Charitúmque Palatinarum triade CAROLI PHILIPPI Neptem, quam Magnam Domûs & Patriæ Matrem reveremur. Palatinatui nata eſt Manhemii, Anno MDCCXXI. die XIII. Cal. Febr. Genitoribus CAROLO JOSEPHO Duce Solisbacenſi, & ELISABETHA AUGUSTA, CAROLI PHILIPPI Electoris Palatini Filiâ. Parente eâdem, & Magiſtrâ pientiſſimâ uſa, teneris ab annis ad omnem pietatis formata regulam, in ætate pares ac virtute progreſſus cepit, dum præpropera fati inclementia Matrem eriperet, vitâ longiore dignam. Matris in vicem ſucceſſit Avus, cujus ſub curis ac vigilantiâ, in diſciplinis Ducali Gynæceo dignis, mirè eſt progreſſa. Anno MDCCXLII, quam lucem natalem habuit, eandem ſolennibus nuptiis conſignavit, data conjux CAROLO THEODORO Duci tum Solisbacenſi, Electoralibus reſervato inſignibus, iisdémque anno adhuc eodem condecorato, adſiſtente glorioſâ decem & quatuor Principum coronâ, Carolo VII. Electore Bavaro, paulò poſt Auguſto Romanorum Imperatore, Paranympho, CLEMENTE AUGUSTO, Electore, & Archi-Epiſcopo Colonienſi, ritu ſolenni bene precante. Principis modeſtiæ obtemperamus ac verecundiæ, dum ejus laudes ac decora commemoramus parciùs, cui virtutis ac gratiæ deeſt nihil, ineſt plurimum. Cũ Sereniſſimo Electore Conjuge eundem celſitudinis aſſecuta gradum eminet, dignitate per omnia par, in virtute ſocia Majeſtatem Clementia temperat, â Majeſtate dignitatis plurimum accipit Clementia: ſapientiâ decertans cum ſummis, demiſſione ac manſuetudine infimos quóſque anteire contendit; magni animi Princeps, at non elati: quæ ſumma maximorum Principum dos eſt, in rerum faſtigio conſtare ſibi; cúmque habeas, quibus imperes, dominari nolle, niſi moderatione animi regiâ, ac lenitate. Gratiæ, & Naturæ dotibus eſt ornata ſummis, quia AUGUSTA; in egenos quos per annum plures ſuis privatim impenſis alumnos habet beneficentiſſima, quia ELISABETHA; & infimorum ſe indulget aſpectui (ùt ſumma ſolent ſidera) & alloquio, quia Patriæ Mater. Religionem in divinis nemo neſcit, niſi, qui in ſacris omnibus infrequens eſt; neque ex iis latere quidquam poteſt, niſi quæ privatos intra parietes ſolicita Principis occultat pietas. Exempli vim, ac zeli fervorem ſuſpiciunt privati, amant boni, ſentiunt diſcoli, accenduntur ſubditi, publica omnium proſequitur veneratio. Mundum poſuit nuptialem, ut auguſtiori apparatu ſtet ſacer ad aram Myſta; quos in uſus Planetas, Dalmaticas, Cappas â telâ pretioſiſſimas, & arte, elargita Eccleſiæ Collegii Manheimenſis, & Marianæ Oggershemii ædiculæ. Huc ab adito Electorali thalamo votivâ ſine numero peregrinatione inviſens, virgineam ſalutat Matrem ELISABETH; cui cultores ut augeat, ſacella multiplicat, novum adjectâ dote, Solisbaci, ad Oggersheimenſis formam noviſſimè machinata. Ineſt ſua Principum pietati vis & virtus admirabilis, quæ non rarò & Principes in ſequelam trahit. Habuit enim verò Sereniſima noſtra pietatis æmulos, Sereniſimam Sororem FRANCISCAM, itidémque Sororium Sereniſſimum Fridericum Principem Bipontinum. Nuptiarum illa ornatum Eccleſiæ Collegii detulit, Ædíque Parthеniæ Oggersheimenſi, præter anathemata aurea, argenteáque duorum Filiolorum ſimulacra, vivis pondere æqualia: Ille ſena ſuſpendit ex argento candelabra, & Ss. Reliquiis Româ advectis aram illuſtravit. Audiat pia Matris utriúsque vota, & rata habeat profuſa Numinis Liberalitas, quæ ab humanâ vinci non amat: annuat, ut Dominæ noſtræ Clementiſſimæ ELISABETH impleatur tempus, ut pariat Filium, à Deo datum, dandum THEODORO, donum exoptatiſſimum; hæc ſpes una Palatinatûs, exſpectatio ſubditorum, deſiderium populorum, ut ſit Magna Domûs, & Patriæ Mater, in Filiorum Nepotúmque ſerie glorioſâ Maxima ELISABETHA AUGUSTA.

SYNO-

Electa
Pro Domo, et Patriæ
MATER.



Eliſabeth patriæ Patris Electiſsima Conjunx,
Mater Patriæ, Mater et alma Domûs.

SYNODIA POETICA.

PRoxima fraternum ſequitur Latonia ſidus;
Æſtivum ſequitur Virgo Erigoneja Leonem:
CAROLE Te propter THEODORE! AUGUSTA ſerenum
ELISABETHA jubar ſpargit, digniſſima Phœbi
Et ſoror & Conjux, Sponſóque ſimillima Soli.
O quam Te memorem Diva! haud etenim Tibi vultus
Mortalis, nec vox hominem ſonat: O Dea certè
Aut ſata Cælicolûm de ſtemmate Nympha Dearum;
Cynthia ſeu dici mavis, conjuncta Leoni
Sive Palatino per proxima ſigna Virago.
Qualis ubi ſudæ per amica ſilentia noctis
Inſtaurat Lucina choros, quam mille minores
Hinc atque hinc tremulo circumdant lumine flammæ,
Sic AUGUSTA ſacros aperis nova Cynthia vultus,
Uno ſole minor, reliquíſque Serènior aſtris.
Sic decuit: ſponſo ſic Te cum Cynthio iidem
A Patribus tulerunt Solisbacenſibus ortus.
Orta Palatinos primâ cum luce beabas
Cœlos, feſtivis collucens ignibus æther
Majori claram ſuccendit fulgure noctem.
Exortum Te Sidus amant, leníque flabello
Aſpirant Zephyríque leves, auraéque Favonî;
Conſita Te thyrſis juga, Te fluviûmque Napeæ,
Et ſtrepero rivi faciles dixêre ſuſurro.
Imperium ſensêre, cui dominator Olympus
Olim decernat, populum regnare potentem,
Et patrios vaſtâ tractus ditione tenere.
Accelerant cunis Charites (ſic Delia nondum
Imperio matura poli, vagire notata eſt
Cunis, ad Cynthi præcelſa cacumina montis)
Sollicitæ advigilant: tenero mirantur in ore
Auguſtum decus: ipſa ſuos palleſcere cultus
Paſithea, Euphroſine lucem devicta ſtupebat,
Erubuítque ſuos ſuperata Thalia decores.
Imperium nutus portendunt. Hoſpita Celſæ
Tum mentis pietas, & avitæ inſignia geſtans
Relligio Fidei, & miti Clementia fronte
Succedunt: pectus tale efformare laborant,
Quo decet inſtructam populorum effulgere Matrem.

Et Te Pieriis viſum eſt certare Camœnis:
Mnemoſyne chordâ cum Te, digitíſque canentem
Audiît, obſtupuit numeros, ſtupefactáque dixit:
Pierides! decimam tellus habet æmula Muſam.
Tempus adeſt; Phœbo Latonia jungere Fratri!
Tempus adeſt: caſtis ſponſo conjungere tædis.
En feſtam ad pompam toto Germania cœlo
Sidera commigrare facit: Germanicus ipſe
Jupiter Imperii ſtator, feſtis Hymenæis
Pronubus adſtiterat: ſolennia fauſta precatus
Antiſtes ſacer, à mitrâ lituóque verendus;
Vota tulit bis ſeptenus genialia Princeps,
Auguriúmque ferens ſponſalia læta coronat.
Imperium lucis Tecum Sol dividit, atra
Nec Te deformi vitiat ferrugine labes.
Proxima ſemper ades Titani, & clara reluces,
Lux nova, plena ſimul. Mites argentea vultus
Cum tollis, recreata tribus concurrit egentûm;
Propitium votis ſidus, precibúſque ſalutant.
Aſtrorum decus, & nemorum Latonia! cuſtos!
Te tria regna colunt; tria Virginis ora Dianæ
Aſtra colunt, tellúſque, & quos Phlegetonte ſub imo
Turbida luctifici Cocyti ſtagna coërcent.
Téne etiam Triviæ compellem voce? paterni
Lux AUGUSTA poli, terræ pretioſa voluptas
Palatinæ? Hecaten at nec Te dicere fas eſt:
Umbrarum non Te Dominam ſibi regna repoſcunt,
Nec Tibi regnandi ſurgit tam dira cupido.
Quin victæ pietate Tuâ, vincíque dolentes
Horriſonis profugæ feriunt ſtridoribus auras
Inferni ſtriges: inde mihi dicêre triformis
Delia, quam tria regna colunt, tria regna verentur.
Quondam etiam (pulſata preces nec ſidera temnent)
Quondam etiam Auguſto Lucina vocabere Partu.
At Te nunc alii devoto carmine claram
Erigonem dicant, aut quæ poſtrema Dearum
Addita ſideribus, terras Aſtræa reliquit.
Te Palatino, Phœbe nitidiſſima! Soli
Junctam, Te mea plectra canent, Te barbita: ſacrum
Tu Lunæ mihi ſemper eris ſub nomine carmen.

EFFI-

GLORIOSA IN ECCLESIA ET IMPERIO HEROUM ET HEROIDUM MATER..



Magna Parens Comitum, Electorum Major, et ultrà:
Cæsarum es et Regum Maxima: quanta Domus!

Ios. et Joan. Klauber Cath. Ser.mi S. R. I. Pr. et Episc. Aug.
Landgr. Hassiæ Chalcogr. [illegible] Aug. [illegible]

EFFIGIES VII.

DOMUS NEOBURGICO-SOLISBACENSIS FOECUNDA ECCLESIÆ, ET IMPERIO MATER.

EXEGESIS HISTORICA.

ANtiquiſſimas inter, ſummásque Germaniæ Principum Domos Nobiliſſima effulget Sereniſſima, potentiſſimáque DOMUS PALATINA, ab ipſo Occidentalis Imperii conditore CAROLO M. Ingelhemio-Palatina, Auguſto Comitum Palatinorum Rheni Genearchâ fundata, & dena ultra ſæcula, per Poſteros glorioſiſſimos, non interruptâ ſerie hodiéque propagata. Auguſtis Chriſtiani orbis Monarchis, Cæſaribus, Regibus, S. R. I. Electoribus, Ducibus & Principibus agnata & affinis. Fœcundiſſima hæc Præſulum Eccleſiæ, & Imperii Principum Mater, non ſenario tantùm circumſcribitur Heroicarum Effigierum numero, quas æternæ Poſteritatis memoriæ, in Templo Gloriæ Muſa ſuſpendat ex obeliſcis; innumeras ſuo aſſervat in Gazophylacio Majorum ceras, vetuſtâ fuligine fulgidas, ab interitu vindicatas. Quot proles fœcunda Parens, NEOBURGICA genuit, tot Societati JESU educavit fautores, tenerúmque cum lacte inſtillavit affectum in Magiſtram, quam illis præfecit à cunabulis Religioſiſſimus Pater WOLFFGANGUS WILHELMUS. Religionem hanc adhuc novellam, NEOBURGICA DOMUS, Divino inſpirata Numine Neophyta, Româ evocavit in partem zeli, laborisque Apoſtolici, pro reducendâ ſuas in Provincias Religione Romano-Catholicâ, ultra ſæculum exulante. Non Aulâ tantùm Ducali excepit hoſpitem, ſed ſinu etiam materno fovit alumnam. Templa, Collegia, Gymnaſia & Seminaria conſtituit, jure civitatis donavit, ſtatísque etiamnum ſtipendiis enutrit Palatinatûs compluribus in locis inquilinam. Cum annis incrementa fecit affectus dignis tantâ Matre Prolibus; adeò, ut ſummis etiam exaltatæ, Eccleſiæ cathedris, & Imperii ſubſelliis, Regiis etiam, & Cæſareis impoſitæ thronis ac thoris, veterem à teneris Pædagogam domeſticam non deſpexerint; ſed omni vitâ coluerint conſcientiarum arbitram, è cathedris exhortatricem, aſſiſtricem in extremis, in dubiis conſiliariam, Theologam domeſticam. Vidit, & obſtupuit orbis WOLFFGANGUM WILHELMUM, PHILIPPUM WILHELMUM, JOANNEM WILHELMUM, CAROLUM PHILIPPUM, videt CAROLUM THEODORUM S. R. I. Electores; vidit WOLFFGANGUM GEORGIUM, LUDOVICUM ANTONIUM, ALEXANDRUM SIGISMUNDUM, FRANCISCUM LUDOVICUM S. R. Eccleſiæ Archi-Epiſcopos, Epiſcopos, Prælatos, nec non ſupremos Ordinis Teutonici Magiſtros; vidit CAROLUM JOSEPHUM, JOANNEM CHRISTIANUM Duces Solisbacenſes, Principum noſtrorum glorioſiſſimos Genitores, cum Societate converſari familiariter, inviſere clementer, tueri potenter; Templa ſtruere, Collegia, Gymnaſia, Seminaria erigere, munificentiſſimos ſuos Patronos. Nec quicquam avito hoc in affectu Heroibus Fratribus conceſſêre Heroides Sorores. ELEONORA MAGDALENA Leopoldi M. Auguſta, MARIA SOPHIA Petri III. Luſitaniæ, MARIA ANNA Caroli II. Hiſpaniæ Regum; HEDWIGIS ELISABETHA Sobieskii, Regii Polonorum Principis, DOROTHEA SOPHIA Farneſiorum Ducum Conjuges, ceu Matres beneficentiſſimæ, amore ſemper tenerrimo complexæ fuêre & affectu. Meritò proin pro meritis tantis, gratiis, favoribus, ac beneficiis, tantæ DOMUI, Dominæ ſuæ ac Patronæ, Matríque amantiſſimæ, minima JESU Societas, in æternum grati animi monumentum, in Templo Honoris & Gloriæ, glorioſum erigit Trophæum, atque ex eo Scutum ALMÆ DOMUS gentilitium, palmas inter, & lauros appendit, perpetuâ piæ Poſteritati memoriâ adorandum cum epigraphe: Fœcunda Eccleſiæ, & Imperio Mater.

SYNODIA POETICA.

TUque Ducum NEOBURGA Parens! Domus inclyta priſco
Sanguine, nominibus centum cantata per orbem,
Tu mihi non humili cantabere Diva cothurno.
Qualis in Eurotæ ripis, aut per juga Cynthi
Exercet Diana choros, quam mille ſecutæ
Hinc atque hinc circùm glomerantur Oreades: illa
Fert humeris pharetram, atque Deas ſupereminet omnes;
Aut qualis fœcunda DEûm Berecynthia Mater
Invehitur curru Phrygias turrita per urbes,
Læta DEûm partu, centum complexa nepotes
Longâ connumeras ſerie Proavósque, Atavósque
Teutonidúmque nites Mater longæva Deorum.
Salve Auguſta Parens! Heroum ſanguis, & ipſa
Clara Ducum Genitrix, *Magni* genuina Propago
Una, & ſtirps CAROLI, Auſonidûm Berecynthia! ſalve.
Tu mihi Teutonici magnum Jovis incrementum,
Tu paribus natos inter celebrâre trophæis,
Semper honore meo, ſemper dicenda triumphis.
Libra dies, ſomníque pares ubi dividit horas,
Juſtâ lance Tibi ſignavit providus æther
Aurea fata: æquis per tempora legibus ibunt.
Is Tibi nec metas rerum, nec tempora fixit,
Imperium ſine fine dedit. Revolubilis anni
Centenas Phoebus decades deduxit Olympo,
Et Centum toties torſit currum axe Bootes,
Cùm tua juſſa orbis, Germanáque regna capeſſunt,
In Carolo jam tum moderari digna lupatos,
Digna rotare manu, poſt fata noviſſima, Romæ
Sceptra reſurgentis; Vetus hæc Tibi gloria reſtat,
Hæc Te digna manet, Domus alto â ſanguine Divûm
Nobilis, à CAROLO dici genitore creatam.
Prô quantus qualíſque fuit, dum maximus auſu
Magnanimo, Imperii revocat poſt ſæcla jacentis
Auguſtum decus, & buſtis inſtaurat honorem?
Heu! quàm terrifico ſonitum dedit illa fragore
Imperii moles! lapſum percepit uterque
Orbis, & adgemuit: ſparſam Romana Virago

Cæſa-

Cæſariem ventis, prædis dat hiantia Regna:
Barbara præda volat: ſpoliis certatur, atroci
Dira inter ſe ſe committunt prælia Marte,
Et pia diſcordes populantur viſcera Matris.
Collapſaéque ſuis ipſi (miſerabile) buſtis
De proprio ſcribunt epicedia mœſta cruore.
Vindice quo ſurges, moles immanè fatiſcens?
Nam ruis ante diem, nec adhuc te fata manebant:
Ne tanta immites Heruli! ne tanta feroces
Oſtrogothi! dirâ conſueſcite prælia mente:
Defoſſi ſuper Imperii conſtare ruinis
Gloria vilis; habet laudis nil iſte triumphus:
Neu vos intrepidi Mavortis pignora, gente
De Longobardâ, per bella cruenta nefandas,
Funereos inter cineres, conquirite lauros:
Mittite tela manu; vel ſiqua eſt Martia virtus,
Europæ Dominum buſtis date ſurgere regnum.
Aſt tantæ par unus erat ſupponere moli
CAROLUS ingentes humeros; ùt Mauricus Atlas
Pinifero fulcit ruiturum vertice cœlum
Ille novo attritas firmabat robore plantas,
Et dedit acciſas aquilis ſuccreſcere pennas.
Laus clara eſt, tanto genitam prodîiſſe ſatore:
Jupiter ipſe, ſuo qui complet Numine mundum,
Æternos gaudet ſtirpis memorare decores,
Canitiémque ſacri generis. Tu denique tanto
Nata Parente Domus, foecundo uberrima partu
Centenos mundo fudiſti Heroas, avita
Queis virtus virtute pari ſuffulciat orbem;
Illuſtres animas; ſeu queis ſacra tempora viſæ
Ardentes decorare mitræ, ſeu pectore digno
Auriſluæ radiare Cruces; ſeu Purpura, Patrum
Imperii regale decus, dare murice circum
Geſtîit emeritos oſtri fulgoribus armos.
Sic Auguſta Domus, florentibus utere fatis!
Sic Tibi propitii juſto moderamine Divi
Dextram inter lævámque tuæ dent currere ſortis
Æquâ lance vices, cæleſtis ad omnia Libræ.
O nunquam reliquæ frigentia ſidera zonæ
Conſpicias! gelidum nec Scorpius explicet aſtrum
Inviſas chelas; nec ſorti inimicus eunti
Hybernâ officiat glacialis Aquarius urnâ!

PARS IV

Gloriam, & Auguſtas Sereniſſimæ Domûs Palatinæ prærogativas divulgat ad memoriam æternitatis.

DOMUS PALATINÆ
GLORIA A VETUSTATE,
SIVE
ARBOR CAROLINO-GENEALOGICA
SERENISSIMÆ DOMUS PALATINÆ
NEOBURGICO-SOLISBACENSIS
A Carolo M. Imperatore, ad Carolum Theodorum Electorem ab Anno DCCXLII. ad Annum MDCCLIV, ultrà decem ſæcula rectâ ſtirpe propagata.

EXEGESIS HISTORICA.

UNde Gloria omnis in Sereniſſimam Domum tum Neoburgico-Solisbacenſem, tum Palatinam univerſam profluxerit, ut appareat, quámque rectè Muſæ noſtræ Principem ſuum Clementiſſimum identidem Caroli M. Poſterum & Nepotem pronuntiaverint, Generis Auguſti ſeriem à Capite ipſo Carolo M. repetimus, & per gradus ſingulos evolvimus. Decus hoc, omnium ita oculos perſtrinxit, ut à Scriptoribus, clari inter antiquos nominis & eruditionis, notatum cum dignitate ſemper fuerit, atque ad poſteros tranſmiſſum, quorum volumina luſtravimus, & conceptis hîc verbis utimur, inter quos

I. Trithemius *in proëmio Chronici Ducum Boiariæ :* Ducum Boiariæ originem deſcribere cupientes, certò comperimus, eos Duces, qui hodiedum Bavariam regunt, ex ſtirpe Caroli M. deſcendiſſe.

II. Lipſius *Tom.* 3. *p.* 257. *affirmat:* Originis rivos communes habere cum fonte Carolino, id eſt, cum Pipinis & Martellis. *& præfat. in pol.* Bavariæ Duces à Carolo Martello, & Carolo Magno deſcendere.

III. Tolnerus *Hiſtor. Palat. Tab.* 1. *Geneal. non tantùm à Carolo M. ſed ultrà etiam à Ferreolo &c. per decem generationes deducit. Cap.* 4. *p.* 112. Sanè, *inquit*, extra omnem dubitationis aleam ponendum eſt, Comites Palatinos Rheni, tam ratione vetuſtiſſimi & nobiliſſimi ſanguinis ex ſtirpe ſcilicet Caroli M. deſcendentes &c. *& Cap.* 7. *p.* 176. Palatinatûs Rheni Comites & Duces ex Franco ſanguine, ſtirpe ſcilicet Caroli M. oriundos ex omnium Hiſtoricorum conſenſu, ex antiquitate Hiſtoricâ, ſatis, & luculenter probari poteſt.

IV Paræus. *Hiſtor. Bav. Palat. L.* 1. *Lect.* 1. *p.* 4. *n.* 6. Inter cœteras Germaniæ Principum familias Palatina omnium ſemper nobiliſſima pariter, atque laudatiſſima fuit habita à Carolo ſiquidem Magno . . . Palatinos descendiſſe cuivis notum eſt. *& p.* 5. Neque verò ulla in genere humano família reliqua dicitur, quæ paternâ origine à Caroli Magni proſapiâ deſcendat, præter hanc modernorum Comitum Palatinorum Rheni, & Ducum Bavariæ &c. *adducítque pro ſe Appianum, Aventinum, Cisnerum, Velſerum &c.*

V. Wilhelm *in Vindiciis Arboris Genealogicæ Carolino-Boicæ argumentis gravibus & documentis demonſtrat, quod Auguſta Gens Palatimo-Boica à Pipinis & Martellis, Caroli M. Majoribus derivetur.* Arborem Genealogicam *æri inciſam parte* 2. *præmittit, in quâ Carolus M. ponitur Genearcha, quem toto libro vindicat Domui Bavaro-Palatinæ. Demum p.* 145.

ita

ita concludit: Carolinis Boicis, Palatinis Rheni genuinam eſſe à Carolo M. progeniem hucusque ſatis probatum puto.

VI. Freherus *Ep. ad Velſ. ſcribit, ſe juſſum à Principe ſuo Palatino, hortante Joanne Bipontino, continuare transmiſſam à Duce Bavariæ* Genealogiam Domûs Bojariæ brevem, ſed accuratam à docto, neſcio quo, viro ſcriptam à Carolo M. usque ad hodiernos Principes deductam.

VII. Leodius *Apud Freher. de Palat. Origin. p.* 5. Noſtri Comites Palatini verâ lineâ Carolum M. contingere putantur. *& p.* 7. Pipinus .. ex quo genitus eſt Carolus M. Imperator, à quo deſcendunt Comites Palatini ad Rhenum &c.

VIII. Hachenberg. *In vitâ Friderici I. Elect. Palat. Lib. I. p.* 3. Palatini ad Rhenum, origines ſuas repetunt à Francis, ſuúmque Parentem Carolum M. referunt. *Et. p* 5. *Ab eo (Pipino)* procreatus Carolus M. auſpicatiſſimus Palatinorum ad Rhenum Author.]

IX. Gewoldus, *Genealogiam Ducum Bojariæ cum Iconibus edidit, exorſus à Caroli M. effigie, cum ſubſcripto hoc diſticho:* Induperatores inter tu Carole magnos, das magno Bojis Stemmate, Magne Duces. *Et poſt recenſitas per ordinem recto ſtipite generationes ſubjungit:* Mihi quidem Genealogiam Sereniſſimorum Bojariæ Ducum texenti ſatis eſt, primum ejus Auctorem, & Conditorem conſtituere hunc ipſum Carolum M.

X. Raderus. *In hanc Gevvoldi Genealogiam præludit:* Celſam Bojugenûm Stirpem per Stemmata Regum ad noſtros ducis, docte Gewolde Duces, & caput à Magno declinas Cæſare Gentis, qui rapuit Grajis nomina Cæſaribus.

XI. Reusnerus. *In Baſilic.* Stirps Carolina . . . Stemma produxit illuſtre primorum Imperatorum Germanorum . . . à quibus prognati Principes Palatini ad Rhenum, Duces Bavariæ utriúsque &c.

XII. Bucelinus. *P.* 1. *f.* 95. *& P.* 2. *f.* 302. Luitpaldum à Carolo M. ortum, non modò domeſticis Bojorum annalibus; ſed et plurimis Ludovici IV. Diplomatibus meritò credimus &c.

XIII. Fuggerus. *In Spec. Glor. Auſtr. Lib. II. cap. I. p.* 157. Cæſar (*Arnulphus*) Marchiæ Auſtriacæ præfecit Heroëm inclytum Leopoldum Lengenfeldenſem, & Schyrenſem Comitem, ex Stemmate Caroli M. prognatum, & Palatinorum Rheni, ac Ducum Bavariæ Patrem & Conditorem digniſſimum.

XIV. Palatius. *In Cæſar. Aquil. Saxon. in S. Henrico P.* 10. *& Lib. XI. Cap. I. p.* 19. *Arnulphi exhibens geneſin à Carolo M.* A quo usque hodie omnes Comites Palatini, Bavariæ Duces, Electores.

XV. Spennerus. *In Syllog. p.* 175. *de Familiâ Palatino-Bavaricâ:* Communis ſententia hactenus à Carolo M. deducit. *Et p.* 176. Ab Arnolpho Imperatore, quem à Carolo M. deſcendere non eſt dubium, aliqui derivant.

XVI. Hundius. *Part. I. p.* 130. *de Com. Schyr.* Luitpoldus ex genere Caroli M. oriundus, eſt Fundator Comitum Schyrenſium, atque ita Principalis Domûs Palatinæ.

XVII. Buckiſch. *In Hiſt. Geneal. Palat. Neoburg. toto libro oſtendit, quod* Domus Neoburgica à Carolo M. *ducat originem &c.*

XVIII. Pantaleon *Candidus. Synopſin Stirpis* Caroli M. & Comitum Palatinorum *Rheni edidit Biponti, ad nuptias Georgii Guſtavi Veldentini; atque Sponſos à Carolo M. deducit.*

XIX. Beutherus. *Demonſtrationem edidit,* Familiam Comitum Palatinorum *Rheni, Ducum Bavariæ, quotquot hodie vivunt, ex Stirpe Caroli M. Imperatoris deſcendere.*

XX. Spanhemius. *In Orat. Hiſt. Friderici IV. Elect. Palat. à* Carolo *M. Majores laudatiſſimos* de Domo Palatinicâ deducit.

P.P. Societatis JESU *Monachii:* in Theatro Virtutis, & Gloriæ Boicæ, *Anno MDCLXXX. Maximiliano Emmanueli præſentato; & in* Fortitudine Leoninâ, *Anno MDCCXV. eidem Electori oblatâ, cum imaginibus, & Tabulâ Genealogicâ* Carolum M. Domûs Boicæ *oſtendunt* primum Parentem.

Adelsreiterum *præterea,* Aventinum, Brunnerum, Imhoffium, Joannis, &c. *adeat, qui plura ſuper hoc argumento cupit; qui eandem prærogativam poſterorum memoriæ honorificè conſignavêre, ſingularem prorſus, & invidendam, niſi virtute partam, & conſervatam; niſi tanto Occidentis vindici, & Germanici Imperii Parenti, iſti numeroſiſſimâ ſerie Nepotes; Nepotibus verò tantis tantus Progenitor fatis, ac Providentiâ fuiſſet reſervandus.*

ARBORIS
PALATINÆ CAROLINO-GENEALOGICÆ
GENERATIONES XXXIII. RECTO STIPITE
A
CAROLO MAGNO
AD
CAROLUM THEODORUM

Generatio.		Natus. Anno	Obiit. Anno
XXXIII.	CAROLUS THEODORUS. *Comes Palat. Rheni, Elector, Dux Solisbac. & Neoburg.*	1724.	Vivat!
XXXII.	Joannes Chriſtianus. *Comes Palat. Rheni, Dux Solisbacenſis.*	1700.	1733.
XXXI.	Theodorus. *Comes Palat. Rheni, Dux Solisbac.*	1659.	1732.
XXX.	Chriſtianus Auguſtus. *Comes Palat. Rheni, Dux Solisbac.*	1622.	1708.
XXIX.	Auguſtus. *Comes Palat. Rheni, Dux Solisbac.*	1582.	1632.
XXVIII.	Philippus Ludovicus. *Com. Pal. Rh., Dux Solisbac.*	1547.	1614.
XXVII.	Wolffgangus, *Comes* Pal. *Rheni, Dux Bipont. Neoburgicus.*	1526.	1569.
XXVI.	Ludovicus *junior Comes Pal. Rheni, Dux Bipont. Veldenſis.*	1502.	1532.
XXV.	Alexander. *Comes Pal. Rheni, Dux Bipont. Veld.*	1462.	1514.
XXIV.	Ludovicus *niger. Comes Pal. Rheni, Dux Bipont. Veldenſ.*	- -	1489.
XXIII.	Stephanus. *Comes Palat. Rheni, Dux Simmero-Bipont.*	1385.	1459.
XXII.	Rupertus III. *Comes Palat. Rheni, Elector, dein Imperator.*	1352.	1410.
XXI.	Rupertus II. *Comes Palatin. Rheni, Elector.*	- -	1398.
XX.	Adolphus. *Comes Palat. Rheni, Elector.*	1300.	1372.
XIX.	Rudolphus. *Comes Palat. Rheni, Elector.*	1275.	1319.
XVIII.	Ludovicus *Severus. Comes Palat. Rheni, Dux Bav. Elector.*	1229.	1294.
XVII.	Otto *Illuſtris. Comes. Palat. Rheni, Elector.*	1206.	1253.
XVI.	Ludovicus I. *Comes Palat.* Rheni, *Dux Bav. Elector.*	1174.	1231.
XV.	Otto V. *Comes Wittelspacenſis, Bav. Dux.*	- -	1183.
XIV.	Otto IV. *Comes Wittelspac. Palat. Bav.*	- -	1146.
XIII.	Otto III. *Comes Schyrenſ. & Wittelspac. Palat. Bav.*	- -	1103.
XII.	Otto II. *Comes Schyrenſ. Palat. Bav.*	- -	1079.
XI.	Otto I. *Comes Schyrenſ. Palat. Bav.*	- -	1040.
X.	Wernerus. *Princeps Schyrenſis.*	- -	1018.
IX.	Bertholdus. *Schyrenſis Dynaſt. Præf. Palat. Bav.*	- -	982.
VIII.	Arnulphus. *Comes Schyrenſis I. Palat. Bav.*	- -	953.
VII.	Arnulphus *Malus. Princeps Bavariæ.*	- -	937.
VI.	Luitpoldus. *Comes Lengenfeldenſis.*	- -	908.
V.	Arnulphus. *Comes Lengenfeld. Dux Bav. Marchio Auſtriæ.*	- -	891.
IV.	Bernardus. *Comes Lengenfeldenſis.*	832.	880.
III.	Pipinus. *Comes Lengenfeldenſis.*	814.	
II.	Bernardus. *Italiæ Rex.*	796.	818.
I.	Pipinus. *Italiæ Rex.*	777.	810.

	Natus. Anno	Obiit. Anno
CAROLUS MAGNUS Imperator Comitum Palatinorum Rheni GENEARCHA.	742.	814.

SYNO-


Arbor
Carolino
Genealogica
Serenissimæ Domus
PALATINO SOLISBACENSIS
a
Carolo Magno Imperatore
plantata
Per Comites Palatinos Rheni
ad
CAROLUM THEODORUM
Comitem et Electorem
Palatinum
Ab anno Christi
792 ad 1752
ultra decem Sæcula
Recta Stirpe
propagata
CAROLUS M.
IMPERATOR
GENEARCHA
I PIPINUS
Fructibus et Ramis, Radice, et Stirpe probatur
Arbor, Si Recta eſt, Si Bona, Sana, Ferax.

SYNODIA POETICA.

PAndite nunc Helicona Deæ! cantúsque ſonoros
Inſtaurate; en materies nova ſurgit honoris.
En vetus annoſo ſe Stipite nobilis Arbor
Objicit: aſſedit cuſtos antiqua dierum
Annorúmque Parens: CAROLI de pectore *Magni*
Exîerat, Magno primùm ſata Patre *Pipino.*
Arbor vaſta, ingens, paſsâ latiſſima fronde;
Qualis Chaldæo quondam conſpecta Tyranno
Vertice ſumma poli feriens confinia, ramis
Æquora cærulei jungens contraria Ponti;
Plurima ſub ramis habitant animalia terræ,
Plurimáque in ramis nidum ſibi condidit ales.
Imperii quoties Aquila, & Regalis Alauda
Hìc ſtruxit nidos? quoties Leo Boje! Leone
Cum Palatino umbriferæ ſub tegmine frondis
Manſuetus recubas? varias partu ubere Stirpes
Arbor celſa tulit: Stirps ramos: frondibus iſti
Multiplices: *omni de Stirpe* Ducalia quaquà
Versùm Poma nitent, foliísque ſub omnibus hærent,
Nominibus diſtincta Ducum, ſociatáque Scutis.
Aureus ad radicem Umbo, cui certa futuri
Signa, manus Divûm jam tunc inſculpſit, & omnis
Poſteritas CAROLI jam tum deſcripta relucet.
Eminet hinc Suevo *Conradus*, Stemmate primus
Heidelbergiacæ qui mœnia condidit urbis,
Nobilibus dicens de montibus Edelbergam;
Sive ſalutifero Heilbergam de nomine dixit,
Myrtea ſive illi nomen fruteta dedêre.
Inde *Rudolphinâ* triplex de ſtirpe *Rupertus*
Ille Palatinas doctis qui condit Athenas:
Illum & Germani video Diademate clarum
Imperii. *Lodoicus* ibi, cûi plurima mento
Barba ſedet: canâ qui primùm ætate Latinis
Non indignus avet præcepta capeſſere Muſis.
Simmeriâ tum Gente Duces; tum quos *Neoburgâ*
Stirpe Electores canimus: mox ordine longo
Solisbacenſi Patres de Nomine, Tantum
A CAROLO *Magno* qui Te THEODORE! Nepotem
Grande Palatinas Columen peperêre ſub auras.

DOMUS PALATINÆ
GLORIA A REGNO
EX
CONSANGUINITATE, ET AFFINITATE
CUM
SUMMIS EUROPÆ PRINCIPIBUS, ET MONARCHIS.

EXEGESIS HISTORICA.

GLoriæ Palatinæ pars altera & Illuſtre quoddam ornamentum, eſt glorioſiſſima Sanguinis cum ſummis Europæ Capitibus, Auguſtiſſimis Cæſaribus, Regibus, Electoribus, Ducibus, Landgraviis, Marchionibus, S. R. I. Principibus neceſſitudo; en tibi, quia in perſequendis ſingulis immorari longiùs non conceditur, ſyllabum brevem, è Scriptorum monumentis fide ſummâ, & accuratione acceptum.

CUM AUGUSTISSIMIS IMPERATORIBUS ROMANORUM.

Carolo Magno *ejúsque Poſteris* Ludovicis, Lothariis, Carolis, Pipinis, Bernardis &c. *Imperatoribus, Regibus Franciæ & Italiæ.* Anno 742.
Ottonibus I. II. III. *per B.* Mathildem, *I. Neptem, II. Filiam, III. Sororem, Conjugem* Ehrenfridi *Com. Palat.* 1160.
Friderico I. *Imperatore, per* Conradum *Com. Palat. Rhen. Fratrem Goslariæ inveſtitum.* 1156.
Conrado III. *per* Gertrudem *Filiam, cum* Hermanno *II. Com. Palat.* 1191.
Conrado IV. *per* Eliſabetham *Conjugem, Filiam* Ottonis *illuſtris.* 1270.
Rudolpho I. *per* Mechtildem *Filiam, cum* Ludovico *ſevero Elect. Palat.* 1274.
Ludovico V. *Bavaro, Filio* Ludovici *ſeveri Elect. Palat.* 1314.
Adolpho. *per* Mechtildem *Filiam, cum* Rudolpho *I. Elect. Palat.* 1315.
Carolo IV. *per* Annam, *Viduam* Rudolphi *I. Elect. Palat.* 1355.
Ruperto III. *Filio* Ruperti *II. Elect. Palat.* 1401.
Ferdinando III. *per* M. Annam *Filiam cum* Joanne Wilhelmo *Elect. Palat.* 1678.
Leopoldo I. *per* Eleonoram, *Filiam* Philippi Wilhelmi *Elect. Palat.* 1676.
Joſepho I. & Carolo VI. *per eandem* Eleonoram *utriúsque Matrem.*
Carolo VII. *per* Leopoldinam *Filiam* Philippi Wilhelmi *Com. Palat. Neoburg. cum* Ferdinando *Duce Bav.* Caroli *Fratre* - 1719.
Et M. Annam *Filiam* Joſephi *Ducis Solisb. Com. Palat. cum* Clemente *Bav. Duce,* Caroli *VII. ex* Ferdinando *Fratre, Nepote* 1742.
Franciſco I. *per* M. Thereſiam *Filiam* Caroli VI. Eleonoræ *Neptem.* 1736.

CUM SERENISSIMIS REGIBUS.
ANGLIÆ.

Per Mechtildem *Filiam N. Regis Angliæ cum* Rudolpho *I. Elect. Palat.* 1316.
Blancam. *Filiam* Henrici *IV. Regis cum* Ludovico *III. Elect. Palat.* 1439.
Eliſabetham, *Filiam* Jacobi *Regis, cum* Friderico *V. Elect. Palat.* 1613.

ARRAGONIÆ.

Per Ottonem II. *Com. Palat. cum* Hazigâ, *Filiâ N. Regis Arragoniæ.* 1079.
Beatricem. *Filiam* Friderici *Regis Arragoniæ & Siciliæ cum* Ruperto *II. Electore Palatino.* - - 1398.

BOHE-



Gloria si magna est, sibi conciliaſ e favore
Regis amicitiam : Sanguine, major erit.

Palatina Domus sibi conciliavit utroq
Regum multorum: maxima nunquā era

Klauber, Cath. Sc Aug V.

BOHEMIÆ.

Per Ludovicum I. *Bav. D. cum* Ludmillâ *Filiâ* Primislai *Bohem. Reg.* A. 1231.
Henricum *Sen. Com. Palat. cum* Margarethâ *Filiâ* Joannis *Regis Bohem.* 1339.
Annam, *Viduam* Rudolphi II. *Com. Palat. cum* Carolo IV. *Rege Bohem.* 1355.
Eleonoram *Filiam* Philippi Wilhelmi *Elect. Pal. cum* Leopoldo I. *Rege Bohem.* 1676.
Eandémque Matrem Joſephi I. & Caroli VI. *Regum Bohemiæ.*

DANIÆ.

Per Chriſtophorum *Filium* Joannis I. *Com. Palat. Regem Daniæ.* 1448.
Dorotheam *Filiam* Chriſtierni *Regis cum* Friderico II. *Elect. Palat.* 1532.
Carolum *Elect. Palat. cum* Wilhelminâ Erneſtinâ *Fil.* Friderici III. *Regis.* 1671.

GALLIÆ.

Per Margaretham Ludovici *Andegavenſis Siciliæ Regis Viduam cum* Ludovico IV. *Electore Palatino.* 1445.
Carolam Eliſabetham, *Filiam* Caroli Ludovici *Elect. Palat. cum* Ludovico *Aurelianenſi*, *Fratre* Ludovici XIV. *Regis Gall.* 1671.

HISPANIÆ.

Per M. Annam, *Filiam* Philippi Wilhelmi *Elect. Palatini cum* Carolo II. *Rege.* 1689.

HUNGARIÆ.

Per Eliſabetham, *Filiam* Belæ IV. *Regis cum* Henrico *Duce Bav.* 1290.
Ottonem, *Filium ejusdem* Henrici, *Regem Hungariæ.* 1312.
Eleonoram *ſuprà dictam*, *Conjugem* Leopoldi I. *Matrem* Joſephi I. & Caroli VI. *Reg.* 1676.

POLONIÆ.

Per B. Richezam *Filiam* Ehrenfridi *Com. Palat. cum* Miceslao *Poloniæ Rege.* 1063.
Henricum *Com. Palat. cum* Eliſabethâ *Filiâ* Henrici *Regis.* 1250.
Albertum *Com. Palat. Filium* Ludovici V. *cum* Margarethâ *Filiâ N. Regis.* 1405.
A. C. Conſtantiam *Filiam* Sigismundi III. *Reg. cum* Philippo Wilhelmo *Elect. Palat.* 1642.
Hedwig. Eliſabetham *Filiam* Philippi Wilhelmi *Elect. Palat. cum* Jacobo *Filio* Joannis *Regis.* 1691.

PORTUGALLIÆ.

Per M. Sophiam *Filiam* Philippi Wilhelmi *Elect. Palat. cum* Petro *Rege Luſitan.* 1687.

SARDINIÆ.

Per A. Chriſtinam Ludovicam *Filiam* Theodori *Com. Palat. Solisb. cum* Car. Emman. Victore, *hodierno Rege Sardiniæ, Duce Sabaudiæ.* 1722.

SICILIÆ.

Per Beatricem *Filiam* Friderici *Reg. cum* Ruperto II. *Elect. Palat.* 1398.
Margaretham *Viduam* Ludovici *Reg. cum* Lodovico IV. *Elect. Palat.* 1445.

SUECIÆ.

Per Chriſtophorum *Com. Palat. Filium* Joannis III. *Neob. Regem Sueciæ.* A. 1439.
A. Mariam *Filiam* Ludovici VI. *Elect. Palat. cum* Carolo *Rege.* 1579.
A. Mariam *Filiam* Guſtavi *Regis cum* Georg. Joanne *Com. Palat.* 1592.
Carolum Guſtavum *Filium* J. Caſimiri *Com. Palat. Regem Sueciæ.* 1653.

CUM SERENISSIMIS S. R. J. PRINCIPIBUS: AUSTRIÆ ARCHI-DUCIBUS.

Per Eliſabetham *Filiam* Stephani *Com Pal. cum* Ottone *Auſtriaco.* 1330.
Eliſabetham *Filiam* Ruperti III. *Imp. Elect. Pal. cum* Friderico IV. *Archiduce.* 1409.
Mechtildem *Filiam* Ludovici IV. *Elect. Palat. cum* Alberto VI. *Archi-Duce.* 1482.
Eleonoram *Filiam* Phil. Wilhelmi *Elect. Palat. cum* Leopoldo I. *Auſtriaco.* 1676.
M. Annam *Filiam* Ferdinandi III. *cum* Joan. Wilhelmo *Elect. Palat.* 1678.

LOTHARINGIÆ DUCIBUS REGIIS.

Per Ottonem III. *Com. Palat. cum* Agnete *Lotharingicâ.* 1008.
Margaretham *Filiam* Ruperti III. *Imp. Elect. Palat. cum* Carolo *Duce.* 1390.

BAVARIÆ DUCIBUS, ELECTORIBUS.

Per Agnetem, *Filiam* Henrici *Com. Palat. cum* Ottone *Illuſtri Bav. Duce.* 1227.
Eliſabetham Ludovici V. *Elect. Palat. cum* Joanne *Bav. Duce.* 1340.
Beatricem, Erneſti *Bav. Ducis, cum* Joanne I. *Com. Palat.* 1427.
Margaretham Ludovici *Div. Bav. Ducis, cum* Philippo I. *Elect. Palat.* 1460.
Joannam *Filiam* Henrici *Bav. Ducis cum* Ottone *Com. Palat. Moſbac.* 1461.
Eliſabetham, Georgii *Div. Bav. Ducis cum* Ruperto X. *Com. Palat.* 1504.
Sibyllam, Alberti IV. *Ducis Bav. cum* Ludovico V. *Elect. Palat.* 1511.
Suſannam, Alberti *Bav. Ducis, cum* Ottone Henrico *Elect. Palat.* 1559.
Magdalenam, Wilhelmi V. *Elect. Bav. cum* Wolffg. Wilhelmo *Com. Palat. Neob.* 1613.
M. Annam, Joſephi Caroli *Com. Palat. Soliſb. cum* Clemente *Bav. Duce.* 1742.

BRANDEBURGI MARCHIONIBUS, ELECTORIBUS.

Per Dorotheam *Filiam* Joannis *March. cum* Chriſtoph. *Com. Palat. Reg. Suec.* 1448.
Amaliam, Alberti I. *Elect. Brandeburg. cum* Gaſpare *Com. Palat.* 1478.
Suſannam *Viduam* Caſimiri *Brand. cum* Ottone Henrico *Elect. Palat.* 1529.
Mariam *Filiam* Caſimiri *Brand. cum.* Friderico III. *Elect. Palat.* 1537.
Eliſ. Carolam, Friderici IV. *Elect. Palat. cum* Georg. Wilhelmo *Brand.* 1616.
M. Eleonoram, Joachimi *Elect. Brand. cum* Ludovico Philippo *Com. Palat.* 1630.

BRUNSWICO-LUNEBURGO-HANOVERANIS DUCIBUS, ELECTORIBUS.

Per Henricum *Superb. Com. Palat. cum* Wulfshilde *Filiâ* Magni *D. Luneburg.* 1139.
Mechtildem, *Filiam* Ludovici *Severi Elect. Palat. cum* Ottone *D. Luneburg.* 1290.
Sophiam, Friderici V. *Elect. Palat. cum* Erneſto Auguſto *Duce Luneburg.* 1658.
Benedictam, Eduardi *Com. Palat. cum* Joan. Friderico *D. Brunſvvico-Hannover.* 1668.

SAXONIÆ DUCIBUS, ELECTORIBUS.

Per Eliſabetham, Friderici III. *Elect. Palat. cum* Friderico II. *Duce Saxon.* 1558.
Suſan. Dorotheam, Friderici III. *Elect. Palat. cum* J. Wilhelmo *Duce Saxon.* 1560.
Eliſabetham, Auguſti *Elect. Sax. cum* Joan Caſimiro *Com. Palat.* 1570.
Phil. Wilhelm. Auguſtum, *Com. Palat. cum* A. Maria Julii Franciſci *Ducis Saxo-Lauenburgici.* 1690.

BAD-

BADENÆ MARCHIONIBUS.

Per Eliſabetham, Philippi I. *Elect.* *Palat. cum* Philippo *March. Bad.*	A. 1503.
Beatricem, Chriſtophori *March. Baden. cum* Joanne VIII. *Com. Palat.*	1535.
Annam, Ruperti XI. *Com. Palat. Veld. cum* Carolo *Marchione Bad.*	1558.
Chriſtianam Magd. Joan. Caſimiri *Com. Palat. cum* Friderico II. *March. Bad.*	1580.

CLIVIÆ, JULIÆ, MONTIUM DUCIBUS.

Per Richardam, Gerardi *Ducis Juliæ cum* Ottone *Com. Palat. Abbac.*	1335.
Annam, Ruperti II. *Elect. Palat. cum* Guilielmo I. *Duce Juliæ, ac Montium.*	1380.
Agnetem, Ruperti III. *Imp. Elect. Palat. cum* Adolpho *Duce Cliviæ.*	1404.
Annam, Wilhelmi *Ducis Jul. Cliv. Mont. cum* Philippo Ludovico *Com. Palat.*	1574.

HASSIÆ LANDGRAVIIS.

Per Sophiam *Filiam* Ottonis I. *Wittelsp. cum* Hermanno *Landg. Haſſ. & Thuring.*	1180.
Annam, Ludovici *Severi Elect. Pal. cum* Henrico *Landg. Haſſiæ.*	1290.
Eliſabetham, Philippi I. *Elect. Pal. cum* Wilhelmo *Landg. Haſſiæ.*	1498.
Eliſabetham, Wilhelmi *Landg. cum* Ludovico II. *Com. Palat. Bipont.*	1532.
Annam, Philippi *Landgravii cum* Wolffgango *Com. Palat. Neoburg.*	1544.
Eliſabetham, Philippi II. *Landg. cum* Ludovico VI. *Elect. Palat.*	1560.
An. Eliſabetham, Friderici *III. Com. Palat. cum* Philippo *II. Landg.*	1567.
Sophiam, Ludovici *Landg. Darmſtad. cum* Joan. Friderico *Com. Palat.*	1624.
Carolam, Wilhelmi V. *Landg. cum* Carolo Ludovico *Elect. Palat.*	1650.
Eliſab. Amaliam, Georgii *Landg. Darmſtad. cum* Philippo Wilhelmo *Elect. Pal.*	1653.

HETRURIÆ DUCIBUS.

Per M. Annam *Filiam* Cosmi III. *Ducis, cum* Joan. Wilhelmo *Elect. Pal.*	1691.

MONTIUM ZOOMÆ MARCHIONIBUS.

Per M. Annam, Franciſci Egonis *March. cum* Joan. Chriſtiano *Com. Pal. Solisb.*	1722.

WIRTENBERGÆ DUCIBUS.

Per Margaretham *Filiam* Ludovici IV. *Elect. Pal. cum* Ulrico *D. Wirtenb.*	1479.
Mechtildem *Filiam* Ludovici *IV. Elect. Pal. cum* Ludovico *Duce.*	1434.
Amaliam, Chriſtophori *Ducis, cum* Richardo *Com. Palat.*	1578.
Dorotheam, Chriſtophori *Ducis cum* Ottone Henrico *Com. Palat. Solisb.*	1582.
Urſulam, Georgii Joannis *Com. Palat. cum* Ludovico *Duce Wirtenb.*	1585.

Sereniſſimos quoque Duces ac Principes, Comitibus Palatinis Rheni agnatos referunt ſuis in tabellis Genealogicis Hiſtorici: Anhaltinos, Arauſicos, Bipontinos, Brabantios, Carinthios, Geldrios, Glogovios, Goritios, Hanovios, Holſteinios, Lignitios, Lubomirskios, Mecklenburgicos, Moravos, Naſſovios, Oſtro-Friſones, Parmeſanos, Pommeranios, Radsivilios, Sabaudos, Sileſios, Sudermannios, Transylvanos, Tyrolenſes &c &c.

Tanta eſt, támque ampla Palatinæ Stirpis affinitas, cúmque affinitate gloria! nobis in argumento vaſtiſſimo eſſe infinitos, aut immenſa Oceani ſpatia parvis tentare velis non licet, neque neceſſum eſt; cùm nomina vel ipſa loquantur plurimùm, totidémque in Effigie Heroës exhibeant, quorum virtuti nonniſi orbis limites poſuit, fama nullis poſteriorum temporum periodis abſolvetur.

SYNODIA POETICA.

O Vetus! O priſcæ celſum decus Arboris! Arbor
O Cedro melior Libanitide! munere vincens
Palmam, quæ Pharias fructu beat ubere terras.
Non uno Stirps digna ſolo frondere, nec unis
Palatinorum diffundere germina Regnis.
Sic viſum Superis: ſic Te Domus alta! decebat
Antiqui cunctas, quà panditur orbis in oras
Connubio proferre Genus, Prolémque locare
Principibus, Regúmque thoris, & ſanguine jungi.
Pauca hæc antiquos relegens per tempora faſtos
Commemoro Vates, gnaro quæ pandimus orbi,
Quà matutinæ *Polonia* lucis ad ortus
Imminet Europæ, ſummis contermina Regnis
Occiduum ſero quà *Luſitania* portu
Proſequitur ſolem; gelidam quà reſpicit Arcton
Suecia; & armigeris quondam notiſſima Cimbris
Dania, *Tyrrhenum* ſalſo quà flumine littus
Et *Siculis* undis pulſat ſpumantibus æquor;
Orbis quà latè dominos Europa gubernat
Imperio Faſces, Regúmque, Ducúmque tiaris,
Auguſtam fudit Sobolem *Neoburgica* Celſo
Fortunata Nepote *Parens*. Leo viſus & olim
Hungaricam portare Crucem Neoburgicus; olli
Hiſpanæ quondam Turres, paritérque *Britanni*
Gaudent agnato *Leopardi* fœdere jungi.
Francica magnanimo ſunt *Lilia* viſa comantes
Condecorare jubas, & quæ ſit blanda Leonis
Gratia, *Cæſareæ* nuper meminiſtis *Alaudæ*,
Eſt aliquid numerare Domos orbíſque potentûm
Affinem Regum, Matrémque, Aviámque, Socrúmque
Poſſe ſalutari. Jacet extra ſidera tellus
Extra anni ſolíſque vias, ubi cœlifer Atlas
Axem humero torquet ſtellis ardentibus aptum.
His etiam tua Fama locis, tua gloria creſcat,
Imperiúmque ferat trans & Garamantas & Indos.
Sub juga tunc etiam Seres, tunc ibit Araxes
Barbarus epotóque ferox tua frœna capeſſet
Sarmata equo, & Thracii cultor Rhodopeius Hæmi.
Atque auſis ſtupefacta Ducum per luſtra futura.
Palatinum orbis Thule canet ultima Nomen.



Majestas Regis Regum vult regia, Reges
Pontifices Aris Sacrificare suis.

Huic tot Germanum Mystas genuiſse per Orbem
Est Palatinæ gloria Sancta Domûs

Klauber, Cath. Sc.

DOMUS PALATINÆ
GLORIA A SACERDOTIO,
PER
ARCHI-EPISCOPOS, EPISCOPOS, PRÆLATOS,
ET CANONICOS IN METROPOLITANIS, ET CATHEDRATICIS GERMANIÆ ECCLESIIS;
NEC NON
PER ABBATES, ET ABBATISSAS, RELIGIOSIS IN ASCETERIIS.

EXEGESIS HISTORICA.

Quæ Maximorum Principum Agnatione, & ſummis in profano Principatu muniis inclaruiſſe oſtenſa eſt, Sereniſſima, & Antiquiſſima Europæ, Domus Palatina; Eadem in ſacra Eccleſiarum luce pari eminuit dignitatum prærogativâ, ut in utroque tum Eccleſiaſtico, tum Politico Ordine ad ſplendoris complementum deeſſet nihil. En denuò è probatis decerptum Auctoribus elenchum brevem, Eorum primùm, qui è Palatinis Rheni Comitibus inter Sacrorum Antiſtites ſacroſancto effulſerunt Sacerdotio, Eccleſiarum per omnem Germaniam, Metropolitanarum, & Cathedralium Lumina, & Ornamenta.

MOGUNTIÆ.

Adalbertus I. *Filius* Sigeberti *Com. Palat. Saræ-Bipontini Archi-Epiſcopus.*	A. 1137.
Adalbertus II. Friderici *Com. Palat. Archi-Epiſcopus.*	1138.
Conradus I. Ottonis IV. *Com. Palat. Archi-Epiſcopus.*	1162.
Stephanus II. Stephani I. *Com. Palat. Simmerenſ. Canonicus.*	1481.
Joannes V. Ottonis *Com. Palat. Mosbacenſis, Canonicus.*	1486.
Fridericus, Friderici *Com. Palat. Simmer. Cantor.*	1487.
Philippus II. Philippi I. *Electoris Palat. Præpoſitus.*	1499.
Rupertus IX. Friderici *Com. Palat. Simmer. Cantor.*	1507.
Georgius I. Philippi I. *Elect. Palat. Præpoſitus.*	1513.
Georgius II. Joannis VIII. *Com. Palat. Simmer. Canonicus.*	1526.
Ludovicus Antonius } Philippi Wilhelmi *Elect. Palat.* { *Coadjutor.*	1694.
Franciſcus Ludovicus } Philippi Wilhelmi *Elect. Palat.* { *Archi-Epiſc.*	1732.

TREVIRIS.

Wilhelmus *Filius* Friderici *Com. Palat. Simmer. Canonicus.*	1490.
Georgius Alexandri *Com. Palat. Bipont. Canonicus.*	1500.
Franciſcus Ludovicus, Philippi Wilhelmi. *Elect. Palat. Archi-Epiſc.*	1716.

COLONIÆ.

Hermannus *Filius* Ehrenfridi *Com. Palat. Archi-Epiſc.*	1036.
Rupertus VI. Ludovici III. *Elect. Palat. Archi-Epiſc.*	1463.
Stephanus II. Stephani I. *Com. Palat. Simmer. Decanus.*	1481.
Stephanus III. } Friderici *Com. Palat. Simmer.* { *Præpoſitus.*	1490.
Fridericus II. } Friderici *Com. Palat. Simmer.* { *Canonicus.*	1490.
Albertus, Joannes } Ludovici I. *Com. Palat. Bipont. Canonici.*	1513.
Georgius, Alexandri *Com. Palat. Bipont. Canonicus.*	1500.
Wolffgangus Georgius } Philippi Wilhelmi *Elect. Palat.* { *Chori Epiſc.*	1683.
Ludovicus Antonius } Philippi Wilhelmi *Elect. Palat.* { *Canonic.*	1694.
Franciſcus Ludovicus } Philippi Wilhelmi *Elect. Palat.* { *Canonic.*	1687.

MAGDEBURGI.

Joannes III. Stephani I. *Comit. Palat. Simmer. Archi Epiſc.* A. 1475.

SALISBURGI.

Conradus, Ottonis IV. *Com. Wittelsp. Archi-Epiſc.* 1046.
Stephanus, Henrici *Com. Palat. Archi Epiſc.* 1311.

ORDINIS TEUTONICI.

Ludovicus Antonius	Philippi Wilhelmi *Elect. Palat.*	*Suprem. Ord. Magiſt.*	1685.
Franciſcus Ludovicus			1694.

ARGENTINÆ.

Joannes IV. *Filius* Stephani I. *Com. Palat. Simmer. Canonicus.* 1470.
Albertus, Ottonis *Com. Palat. Moſbac. Epiſcopus.* 1478.
Joannes Ludovici I. *Bipont. Com. Palat Præpoſitus.* 1480.
Fridericus, Joannis IV. *Com. Palat. Præpoſitus.* 1490.
Rupertus VII. Stephani I. *Com. Palat. Simmer. Epiſcopus.* 1493.

Philippus,	Ludovici I. *Com. Palat. Bipont.*	*Canonicus.*	1496.
Albertus,		*Epiſcopus.*	1523.

Wolffgangus Georgius, Philippi Wilhelmi *Elect. Palat. Canonicus.* 1683.

AUGUSTÆ.

Joannes II. Ruperti III. *Elect. Palat. Cæſaris, Canonicus.* 1390.
Joannes V. Ottonis *Com. Palat. Mosbac. Præpoſitus, Epiſcopus.* 1470.
Alexander Sigismundus, Philippi Wilhelmi *Elect. Palat. Epiſcopus.* 1690.

BRIXIÆ.

Wolffgangus Georgius, Philippi Wilhelmi *Elect. Palat. Canonicus.* 1683.

CONSTANTIÆ & EYSTADII.

Alexander Sigismundus *antè dictus Præpoſ. Conſt.* 1693. *Coadj. Eyſtad.* 1681.

FRISINGÆ.

Rupertus X.	Philippi I. *Elect. Palat.*	*Epiſcopus.*	1495.
Philippus II.		*Epiſcopus.*	1496.
Henricus		*Epiſcopus.*	1552.

LEODII.

Joannes, Alberti *Duc. Bav. Com. Palat. Epiſcopus.* 1400.

Wolffgangus Georgius	Philippi Wilhelmi *Elect. Palat.*	*Epiſcopus.*	*ùt ſuprà.*
Ludovicus Antonius		*Canonicus.*	
Alexander Sigismundus		*Canonicus.*	

MONASTERII.

Joannes III. Stephani I. *Com. Palat. Simm. Epiſcopus.* 1475.

Wolffgangus Georgius	Philippi Wilhelmi *Elect. Palat. Canonici.*	*ùt ſuprà.*
Ludovicus Antonius		
Franciſcus Ludovicus		

NAUMBURGI.

Philippus II. Philippi I. *Elect. Palat. Epiſcopus.* 1512.

OLOMUCII.

Franciſcus Ludovicus *ſuprà dictus. Canonicus.*

RATISBONÆ.

Rupertus VIII. Ottonis *Com. Palat. Mosbac. Epiſcopus.* 1457.
Rupertus IX. Friderici *Com. Palat. Simm. Epiſcopus.* 1492.
Joannes VII. Philippi I. *Elect. Palat. Epiſcopus.* 1507.

Wolffgangus Georgius	*qui ſuprà Canonici.*
Alexander Sigismundus	

SPIRÆ.

SPIRÆ.

Bruno, Sigeberti *Com. Palat Saræ-Bipont Epiſcopus.* A. 1124.
Georgius I. Philippi I. *Elect. Palat. Epiſcopus.* 1513.

TRIDENTI.

Wolffgangus Georgius *de quo ſæpiùs. Canonicus.*

ULTRAIECTI.

Henricus, Philippi I. *Elect. Palat. Epiſcopus.* 1552.

WORMATIÆ.

Henricus *idem, Epiſcopus.* 1552.

Ludovicus Antonius Franciſcus Ludovicus	*de quibus ſæpiùs, Epiſcopi.*	1691. 1694.

WRATISLAVIÆ.

Wolffgangus Georgius, Franciſcus Ludovicus.	*de quibus ſæpiùs,*	*Epiſcopus deſignatus.* *Epiſcopus.*	1683. 1683.

Cum Præſulibus & Canonicis jure hîc ſuo & merito recenſendæ veniunt Filiæ Comitum Palatinorum Principes, quæ poſthabitis mortalium Principum nuptiis, optione haud pœnitendâ Regi Sæculorum, & Sponſo Virginum ſeſe conſecraverunt.

ABBATISSÆ, & RELIGIOSÆ.

S. Theophania, Adelhaidis, Heilewigis, Mathildis, Ida, Sophia,	*Filiæ* Ezonis, vel Ehrenfridi *Comit. Palatini* 1034.	*Abbatiſsæ*	*Eſſendiæ.* *Nivellis.* *Noveſii.* *Dedinckericii.* *Coloniæ in Capitolio.* *Moguntiæ ad S. Mariam & Gandershemii* 1190.

Cunegundis Conradi *Com. Palat. Abbatiſſa Neoburgi ad Niccarum.* 1195.
Agnes, Stephani *Com. Palat ibidem Monialis.* 1300.
Gertrudis Hermanni II. *Com. Palat. Vidua, Cœnobii S. Theodori Bamberg. ab ipsâ conditi Religioſa.* 1191.

Catharina, Margaretha, Joanna, Anna,	Ludovici *Nigri Com. Palat. Bipont.* 1460.	*Abbatiſſa.* *Sanctimoniales.*

Catharina, Philippi I. *Elect. Palat. Monialis.* 1500.

Barbara, Anna,	Ottonis I. *Com. Palat. Mosbac. Sanctimoniales.*	1500. 1500.

Joanna, Margaretha,	Alexandri *Com. Palat. Bipont. Moniales.*	*Treviris.* *Boppardiæ.*	1520. 1552.

Brigitta, Joanna, Ottilia, Maria, Catharina,	Joannis VIII. *Com. Palat.* 1550.	*Abbatiſſa Neoburgi.* *Prioriſſa Boppardiæ.* *Moniales ibidem.*	1562.

Ludovica Friderici V. *Elect. Palat. Abbatiſſa Maubuiſſon.* 1684.
Amalia Sophia, Chriſtiani Auguſti *Com. Palat. Solisbac. Monialis Coloniæ.* 1683.

Maria Anna, Franciſca Chriſtina, Erneſtina Eliſabetha.	Theodori *Com. Palat. Solisbac.*	*Religioſa Carmeli Colon.* *Abbatiſ. Eſſend. & Thoren.* *Religioſa Carmeli. Neoburgi ad Danub.*	1714. 1726. 1732.

SYNODIA POETICA.

NUnc, ô nunc faciles demittite vertice lauros,
Phœbeum, Aonides! demittite frontis honorem!
Ecce Virûm ſacer Ordo nitet, mitráque verendus,
Et dominante pedo, trabeáque inſignis, & auro,
Pelliceaéque nivis dignos ebur occupat artus.
Longa micat ſeries: quis conſcius omnia fando
Commemoret vates Sacrorum Lumina? ab omni
Sunt Palatinæ decerpta propagine Stirpis.
Hos inter pars quanta nitent, *Neoburgicus* altâ
Quos Stirpe effudit *Ramus*? *Wolffgange Georgi!*
Te video: titulis quot fulges notus Agrippæ
Clarus in urbe *Chori*-ſeu dignus *Episcopus* audis?
Seu Tibi talari rubeum cum veſte Galerum
Argentina, *Monaſterium*, *Oſnabruga*, *Tridentum*,
Brixia, *Paſſaviúmque* offert, Cathedræque *Leodî*,
Atque *Ratisbonæ*? Téne & *Lodoice* videmus
Antoni! ſocias *Mogono* cum Præſule dignum
Officií partire vices; lux quanta *Ubiorum*,
Vangionúmque aris! indictum carmine vates
Ecquis *Alexander* Te *Sigismunde* relinquat?
Cui mitras certatim offert, capitíque verendo
Ingerit *Eyſtadium*, *Conſtantia*, cúmque *Leodîs*
Vindelicis quondam celebrata *Auguſta* colonis;
Quis verò illa, aureô ſupplex cui flumine *Rhenus*
Mogúsque auratæ confinia fluxit ad Urbis?
Cuî famulis volvi *Moſella* exambiît urnis;
Aurea Sileſis cui *Wratislavia* campis
Lilia ſubſternit, fuſam *Wormatia* clavem
Argento, *Elvacum* fulvæ fert dona Tiaræ?
Franciſcum dixi *Lodovicum*: inſignia novi
Teutonicæ generoſa *Crucis*, quæque integit artus,
Albentem niveo flocci de vellere Pallam.
Dicite virgineum, Muſæ! turba innuba, carmen,
Dicite Parthenias, thalami ſine labe, cohortes,
Quà niveas fovit Clauſtris Europa columbas:
Téque *Sophia* canant *Amalia*, Téque *Maria*
Anna: Tuis *Franciſca* canant *Chriſtina!* triumphis;
Liliferáque ornent Te luce *Erneſta Loiſa*.
Gratia laureolam his cœlo, ſed gloria fixit
Pyramidem, innumeros uno complexa Coloſſo.

DOMUS



Bäumgen delineavit

DOMUS PALATINÆ
GLORIA A COELO.
PER
SANCTOS UTRIUSQUE SEXUS COELITES,
E DIVIS S. CAROLI M. MAJORIBUS AC POSTERIS PROPINQUIORES.

EXEGESIS HISTORICA.

MAgna Palatinæ Domûs Gloria à Regno, major à Sacerdotio, maxima ab ipſo Cœlo. Magna è conſanguinitate, & affinitate cum Regibus terræ: Major è myſtico cum Eccleſiis connubio; maxima è cognatione cum C vibus Cœli. Glorioſiſſima Domus! agnata terræ, cognata Cœlo: illam Principibus, hoc cœlitibus implevit: Horum inire numerum humanæ non eſt facultatis, ideóque nec noſtræ voluntatis. Centenos è millibus ſufficiat ſelegiſſe. Et quanquam ſingulorum nomina non legantur Romano inſerta Martyrologio: vetuſtiſſimis tamen variarum Germaniæ Eccleſiarum beatificantur menæis. Horum piâ fide ſtamus, nihilominùs ſanctiſſimo Eccleſiæ Romanæ judicio ſubmittentes. Initium à IV. ſæculo æræ chriſtianæ ducimus, ab Ansberto *Senatore Romano, Marchione Androverpiano, qui fuit Pronepos Ferreoli, Præfecti Prætorio in Italiâ ſub Honorio Auguſto circa annum Chriſti CCCXCV. & Pater S. Arnoaldi, Tritavi S. Caroli M. Tolner. Hiſtor. Palat. Tabulâ Genealog. I.*

COELITES DOMUS PALATINÆ E SEXU MASCULINO.

S. Adalbaldus. *Mart. Nepos S.* Arnulphi *Abpatruus S.* Caroli M. *Clav. Duc. Chron. Marchian.*
S. Adelardus. *Abbas Corbej. Patruelis S.* Car. M. *Baron. Bolland.*
S. Aigulphus. *Epiſc. Metenſ. Frater* Ansberti, *Tritavi S.* Car. M. *Bolland. Blav. Duc.*
S. Albericus *Ep. Traject. Nepos S.* Adelæ *ex Majoribus S.* Car. M. *Bolland.*
S. Angilbertus. *Conjux.* Berthæ, *Gener. S.* Car. M. *Bolland. Tolner.*
S. Ansegiſus. *Ep.. S.* Arnulphi, *Abavus S.* Car. M. *Baron. Rhay. Tolner.*
S. Apollinaris *Ep. Valent. Conſang.* Ansberti, *ex Maj. S.* Car. M. *Mart. Rom. Bouchet.*
S. Arnoaldus. *Ep. Met. Nepos S.* Aigulphi *Tritavus S.* Car. M. *Bayerlingk.*
S. Arnulphus. *Ep. Met. F. S.* Arnoaldi *Atavus S.* Car. M. *Mart. Rom. Baron. Bolland.*
S. Badefridus. *Conſang. S.* Arnulphi, *ex Maj. S.* Car. M. *Surius, Bolland.*
S. Baſinus. *Archi-Ep. Trev. F. S.* Arnoaldi, *Fr. S.* Arnulphi. *Brovver. Clav. Duc.*
S. Bertulphus. *Abb. Bobiens. Conſang. S.* Arnulphi. *Baron. Surius.*
S. Boſo. *Ep. Merſeb. F.* Pipini Heriſtalli, *Propatruus S.* Car. M. *Brunner. Heninges.*
S. Carolomannus. *Rex Auſtraſ. Patruus S.* Car. M. *Baron. Raderus.*
S. Carolus. *M. Imp. Rex Franc. Atnepos S.* Arnulphi. *Eginhard. Baron. Rad.*
S. Caſimirus. *Rex Pol. F. B.* Bichezæ *Comit. Palat. F.* Ehrenfridi. *Rhay. Baron. Gelen.*
S. Clodulphus. *Ep. Met. F.* S. Arnulphi *ex Maj. S.* Car. M. *Mart. Rom. Bayerl.*
S. Conradus. *Ep. Conſt. Conſang. B.* Ehrenfridi *Com. Pal.* *Mart. Rom. Rad.*
S. Eleutherius. *F. S.* Martini *Loth. Duc. ex Maj. S.* Car. M. *Clavis Ducal.*
S. Emericus. *F. S.* Stephani *Reg. Hung. Nepos S.* Henrici. *Mart. Rom. Baron.*
S. Engelbertus. *Archi-Epiſc. Colon. Comes Montium.* *Mart. Rom. Rhay.*
S. Ehrenfridus, *vel* Ezzo. *Comes Palat. Rheni.* *Papebroch. Rhay Gelen.*
S. Ferreolus. *Ep. Ucetiens F.* Ansberti, *ex Maj. S.* Car. M. *Baron. Bolland.*

S. Firminus. *Ep. Ucet. Fr.* Anſberti *ex Maj. S.* Car. M. *Mart. Rom. Bolland.*
S. Geroldus. *Prorex Boj. Sororius S.* Car. M. *Rader. Bruſchius.*
S. Godefridus. *F.* Irmezæ, *Neptis S.* Car. M. *Ms. Cappenbergenſe.*
S. Godegrandus. *Ep. Met. Nepos* Pipini *ex S.* Landradâ. *Sigeb. Gembl.*
S. Gregorius. *Ep. Traject. Com. Pal. F. S.* Adelæ. *Mart. Rom. Rhay. Annal. Traj.*
S. Guericus. *Ep. Met. Conſang. S.* Annulphi, *ex Maj. S.* Car. M. *Bayerlingk.*
S. Henricus. *Imp. Dux Bav. ex Poſteris S.* Car. M. *Mart. Rom. Baron. Rad.*
S. Hubertus. *Ep. Leod. Conſ. S.* Arnulphi *ex Maj. S.* Car. M. *Baron. Chron. Fontin.*
S. Hugo. *Abbas Noval. Filius S.* Car. M. *Chron. Novalic. Baron.*
S. Hugo. *Archi-Ep. Rotomag. Abnepos S.* Arnulphi, *ex Maj. S.* Car. M. *Chron. Font.*
S. Iſychius. *Ep. Vien. Conſ.* Anſberti *ex Maj. S.* Car. M. *Ms. Viennenſe.*
S. Landricus. *Ep. Meld. Nepos* Pipini, *ex Maj. S.* Car. M. *Clav. Ducal.*
B. Lotharius. *Imp. Nepos S.* Car. M. *ex* Ludovico Pio. *Brunner, Rhay.*
B. Ludovicus Pius. *Imp. Filius S.* Car. M. Lotharii *Pater. Rader. Brunner.*
S. Lutwinus. *Archi-Ep. Trev. Nepos S.* Baſini *ex Maj. S.* Car. M. *Brovver. Maſen.*
S. Martinus. *Dux Loth. Filius S.* Clodulphi, *ex Maj. S.* Car. M. *Bolland.*
S. Medericus. *Ep. Ariſid. F.* Anſberti, *ex Maj. S.* Car. M. *Geneal. S. Arnulphi.*
S. Mengoldus. *Mart. Nepos* Carolomanni *Regis Bojor. Raderus.*
S. Modoaldus. *Archi-Ep. Trev. Avunculus S.* Gertrudis. *Mart. Rom. Bar. Brovv.*
S. Pipinus. *Landenſis. Socer. S.* Anſegiſi, *Abavi S.* Car. M. *Abb. Leod. Brovver.*
S. Reinoldus. *Mart. Com. Pal. Relig. Colon. Rhay. Caniſius in Mart.*
S. Rupertus. *Fil. B.* Berthæ *Com. Palat. Bing. Trith. Uſuard. Henſch. Joannis.*
S. Stephanus. *Rex Hung. Sororius S.* Henrici *ex Poſt. S.* Car. M. *Mart. Rom. Bar. Rad.*
S. Symbertus. *Ep. Aug. Nepos S.* Car. M. *Clav. Duc.*
S. Udalricus. *Ep. Aug. Conſ. B.* Erenfridi *Com. Palat. Rad. Brun. Bruſch.*
S. Ulricus. *Ep. Lauſan. Fr.* Hildegard. *Conj. S.* Car. M. *Bruſch. Rader.*
S. Wandregiſilus. *Abb. Nepos S.* Arnulphi, *ex Maj. S.* Car. M. *Mart. Rom. Baron.*

COELITES DOMUS PALATINÆ
E SEXU FOEMINEO.

S. Adela. *Abb. Trev. Soror S.* Sigeberti, *ex Maj. S.* Car. M. *Bolland. Surius.*
S. Adelindis. *Abb. Buchov. Soror S.* Hildegard. *Conj. S.* Car. M. *Rader. Bruſch.*
S. Adelſendis. *V. Filia S.* Adalbaldi *ex Maj. S.* Carol. M. *Hucbaldus.*
S. Afra. *Abb. Trev. Soror S.* Modoaldi *ex Maj. S.* Car. M. *Clav. Ducal.*
B. Agnes. *V. Filia* Ludovici *Bavari Imp. Raderus.*
B. Agnes. *Imp. Conj.* Henrici III. *ex Poſteris S.* Car. M. *Rhay. Brunner.*
S. Almaberga. *Conj. S.* Clodulphi *ex Maj. S.* Car. M. *Clav. Duc.*
S. Amelberga. *Neptis S.* Pipini *Land. ex Maj. S.* Car. M. *Surius.*
S. Auſtreberta. *V. Fil. S.* Badefridi, *ex Maj. S.* Car. M. *Mart. Rom. Boll. Surius.*
B. Barbara *V. Fil.* Alberti *Pii Ducis Bav. Raderus.*
B. Bathildis. *Conj.* Clodovæi *Reg. ex Stirpe S.* Car. M. *Mart. R. Bar. Floran. &c.*
B. Begga. *F.* Pipini *Land. Conj. S.* Anſegiſi *ex Maj. S.* Car. M. *Mart. R. Bar. Rhay.*
B. Berlendis. *V. Sanctim. ex Stirpe S.* Car. M. *Florarium SS.*
B. Bertha. *Abb. Blanchiac. Soror. S.* Adalbaldi, *ex Maj. S.* Car. M. *Sylvius.*
S. Bertha. *Abb. Centulenſ. Filia S.* Car. M. *Conj S.* Angilberti. *Tolnerus.*
S. Bova. *Filia S.* Sigeberti, *ex Maj. S.* Car. M. *Henſchen.*
S. Celſa. *Neptis S.* Berlendis *ex Stirpe S.* Car. M. *Ms. Carth. Brux.*
S. Cloſendis. *V. Fil. S.* Adalbaldi *ex Maj. S.* Car. M. *Hucbaldus.*
S. Clotildis. *Reg. Fr. Socrus* Anſberti *ex Maj. S.* Car. M. *Mart. Rom. Clav. Duc.*
S. Cunegundis. *Imp. V. Conj. S.* Henrici, *ex Poſt. S.* Car. M. *Mart. R. Bar Rad.*
S. Doda. *Conj. S.* Arnulphi *ex Maj. S.* Car. M. *Brovver. Maſenius.*
S. Euſebia. *V. Fil. S.* Adalbaldi, *ex Maj. S.* Car. M. *Hucbald.*

S. Fran-

S. Franchildis. *Conj. B.* Badefridi, *ex Maj. S.* Car. M. *Bolland. Surius.*
S. Genofeva. *Conj.* Sigfridi *Com. Palat.* *Rhay. Freher. Puteanus.*
S. Gertrudis. *Abb. Fil.* Pipini *Heriſtal. ex Maj. S.* Car. M. *Baron.*
S. Gertrudis. *Abb. Nivell. Soror S.* Beggæ *ex Maj. S.* Car. M. *Mart. R. Abb. Leod.*
S. Gertrudis. *Avia S.* Adalbaldi, *ex Maj. S.* Car. M. *Hucbaldus.*
S. Gertrudis. *Soror S.* Car. M. *Henſchenius.*
S. Giſela. *Abb. Sueſſion. Soror S.* Car. M. *Eginhard. Baron. Bruſch.*
S. Hadeloga. *Abb. Kizing. F.* Car. Martelli. *Avi. S.* Car. M. *Hier. Dungersh.*
S. Hildegardis. *Imp. Conj. S.* Car. M. *Baron. Bolland. Rader. Brunner.*
S. Ida. *Abb. F. B.* Ehrenfridi *Com. Palat.* *Rhay. Gelen. Bucellinus.*
S. Irmina. *Abb. Trev. Conſ.* S. Arnulphi, *ex Maj S.* Car. M. *Mart. R. Bolland.*
S. Itisberga. *V. Soror S.* Car. M. *Malbranc. Tolner.*
S. Itta. *Mater S. Beggæ, Nurus S.* Arnulphi, *ex Maj. S.* Car. M. *Steph. Abb. L.*
S. Itta. *V. Comitiſſa Sponheimenſis* *Rhay.*
S. Landrada. *F.* Caroli *Mart. Soror* S. Hadalogæ, *ex Maj.* S. Car. M. *Clav. Duc.*
B. Margaritha. *Palat. F.* Roberti *Imp. Bav. Duc.* *Raderus.*
S. Mathildis. *Imp. Conj.* Henrici *Aucup.* *Mart. Rom. Henſchen. Rader.*
B. Mechtildis. *Conj. B.* Ehrenfridi *Com. Palat.* *Rhay. Tolner.*
B. Noitburga. *F. S.* Plectrudis *Princ. Bav.* *Rader. Brovver. Brunner.*
S. Oda. *Conj.* S. Arnoaldi, *Tritavia* S. Car. M. *Mater* S. Arnulph. *Clav. Duc.*
S. Plectrudis. *Conj.* Pipini *Heriſt. Proavia* S. Car. M. *Baron. Rader.*
B. Regenberga. *F.* Gerici *Ducis Montium.* *Rhay. Gelenius.*
B. Richeza. *Reg. Pol. F.* B. Ehrenfridi & *S.* Mathildis, *Com. Pal.* *Rhay. Papebroch.*
S. Ritza. *Neptis* S. Car. M. *Bolland. vita S. Godefridi.*
S. Roſalia. *V. Panormit. ex ſanguine* S. Car. M. *Mart. Rom.*
S. Severa. *Abb. Trev. Soror* S. Modoaldi, *ex Maj.* S. Car. M. *Mart. R. Brovver.*
S. Tharſita. *V. Fil.* Ansberti, *ex Maj. S.* Car. M. *Bolland. Clav. Duc.*
B. Theophania. *Abb. Eſſend. F. B.* Ehrenfridi. *Com. Pal.* *Rhay. Tolner.*

Sancto huic Beatorum Cœlitum Palatinorum Choro duos quoque ſuo ex Ordine Religioſos, & Sanctos Juvenes annumerare gaudet & audet minima JESU Societas, S. Stanislaum, & S. Aloyſium; *utrumque Sereniſſimæ Palatinæ Domui Neoburgico-Salisbacenſi affinem: S.* Stanislaum Koskam *ex nobiliſſimâ, & Regni Senatoriâ Koskarum Gente in Poloniâ; tam ex conſanguinitate* B. Richezæ *Polon. Reginæ, Filiæ* B. Ehrenfridi *Com. Palat. quàm ex affinitate gemina per connubia* Caroli Philippi *Elect. Palat. cum utraque conjuge*, I. Ludovicâ Carolinâ, Radziviliâ, & II. Thereſiâ, Lubomirskiâ *è Sereniſſimis Polonorum Principum Domibus.*

S. Aloyſium Gonzagam *è Sereniſſimâ S.R.I. Principum & Marchionum Gonzagarum Domo, Ducali Principum Farneſiorum Domui affine, per* Dorotheam Sophiam, Philippi Wilhelmi *Elect. Palat. Filiam, cum* Odoardo, & Franciſco, *Farneſiis Ducibus fratribus, Parmæ & Placentiæ Principibus.*

Complures adhuc reſtant, quorum nomina folium non capit, capit Cœlum: ſunt Adolphi, Bernardi, Brunones, Everhardi, Guilielmi, Ottones, Rudolphi, Theobaldi &c. *Sunt* Adelhaides, Berthæ, Eliſabethæ, Hedwiges, Thereſiæ, Waltrudes. &c. *quorum ſacra nomina, & beatam memoriam, Sancti vel Beati notata titulo, vetuſta, & authentica variarum Eccleſiarum dypticha exhibent, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Annales, & Hagiographorum volumina. Plures adhuc & ſine numero, quorum nobis nomina incognita ſunt in terris; ſcripta autem ſunt in Cœlis, in libro vitæ; horum nomina, merita, & numerum ſolus, qui novit omnia, novit Deus. Centeni hi ſufficiant, quolibet è ſexu quinquageni, tam ad* Domûs Palatinæ Gloriam à Cœlo *demonſtrandam; quàm ad æmulationem & Sanctorum Majorum imitationem in Poſteris excitandam.*

SYNODIA POETICA.

UT vidi, ùt ſtupui! priſcum quisquámne retexit
Pantheon! ignaro, dixi, tremefacta rigebant
Oſſa, coit gelidus circùm præcordia ſanguis.
Protinùs ingentes aquila inſuperabilis alas
Pandens exanimem rapuit. Quater ætheris illa
Succutiens tenues lætis clangoribus auras,
In ſummâ regione ſtitit, quà lucidus ignis,
Electríque ardor, chrystallina & æquora flammæ.
Empyreis placidos ſubſternunt ſedibus ignes.
Hîc oculis ſunt viſa meis, ſunt auribus hauſta,
Quà nunquam penetrare datur mortalibus auſis.
Non, licèt innumeris reſonent mihi vocibus ora,
Sunt dignis memoranda modis faſtigia Divûm.
Quæ ſuperi! exclamo, turmæ? quæ fulgida circùm
Agmina, Phœbæos totidem, per inania vultus
Æthereásque faces, firmamentíque ſtuperes
Lumina, noctivagas numero exſuperantia tædas.
Prô! *Palatinæ* ſeries quanta undique *Stirpis*?
Quis roſei Dux ille Chori, qui tempora mitris
Inclytus, Auſonii decus immortale triumphi?
Te tueor fuſo quondam *Adalberte* cruore
Qui patriam, tua vota, Fidem, teſtatus, & Agno
Proximus agnatam ducis poſt prælia turmam?
Vos Fidei, patriæque Patres *Adelarde*, *Clodulphe*;
Gregori, totis celeberrima nomina terris!
Quæ *Caroli*, *Carolomanni*, quæ tanta *Pipini*
Gloria? Biſtoniis nivibus, lactíque recenti
Æmula quanta phalanx! *Cunegundis*, *Margaris*, *Agnes*,
Quî *Doda* partheniis geſtit redimita coronis?
Plaude *Domus* cognata polo, celebrando triumphos!
Quid tanto poſſis Divûm illuſtrata nitore
Exoptare magìs, ſuperis jam proxima regnis!
Hæc ubi ſidereæ coràm ſpectacula ſcenæ
Attonitis bis, térve oculis aſpecto, meíque
Impos, diffuſam propiùs perluſtro phalangem,
Ecce tibi in medio, geminus ceu Delius igne,
Lojolidum *Pater* ille Chori, propiórque parenti
Xavier, Eoo multùm vallatus ab orbe.
Ad me tùm Genius blando ſic ore locutus:
Eia age! rumpe moras, nunc tempus, prome tabellam,
Nunc locus, ut grates, pia vota, precéſque, rependas.

CONCLUSIO
SYNODIÆ POETICÆ.

OCyùs in genua acclinis, portendo *tabellam*
Quâ docto *Effigiem Templi* deſcripſit in ære
Non ignara manus; fauſtâ prece ritè ſecundent
Tantáque non lævi reſpectent munera. contrà
Hæc *Divi* reſponſa ferunt, ſic ora reſolvunt.
Nate! Palatinas ad nos delate per auras,
Quà Zelus, quà ſancta Fides, genuináque Virtus
Jura dat, & claræ regnat penetralibus Aulæ,
Nota *Neoburgæ* pietas mitiſſima *Gentis*,
Cognita Cœlicolis; æternâ mente repoſtus
Stat tantæ pietatis honos, & munera, triplex
Quæ Palatino provincia ſub Jove, cornu
Fert undante, nec his oblivio regnat in oris.
Antè ſuis ergò commota è ſedibus, altâ
Mole ruet conſtructa Domus, vel ſydera gentes
Subjectas regere imperio, terráſque jacentes
Deſiſtent, tanti quàm doni gratia mente
Excidat immemori. Tectis habitabimus iſtis:
Hìc aditus pandent faciles, atque oſtia Divi.
LOYOLÆA etiam ſi Virtus, dextráque quidquam
XAVERII poſſit, *XAVERI* dextera, Virtus
LOYOLÆ auxiliis aderit, pietate perenni
Auguſtam ſervare Domum, ſervare Nepotes.
Namque aliqua eſt Cœlo pietas, quæ talia curet.
Tu Nate! Auguſtæ referas hæc nuntia Genti,
Muneráque hæc omnem celera vulgare per orbem.
Hæc igitur juſſi canimus. Læta iſta reporto
Nuncia, Vaticinórque. Fidem date ſacra canenti.
Tu qui perpetuâ mandas decurrere lege
Stelliferos orbes, menſésque, & tempora, motu
Qui ſolem æterno mergi facis, atque redire,
Conditor, atque idem celſi Regnator Olympi!
Te mea Vota petunt, Te patria, ſubditus omnis;
Annue, ne duplex *CAROLO* rapiatur in uno;
(Heu quantis rapienda orbi Domus alta ruinis!
Illa ſed in *CAROLO THEODORO* æterna triumphet,
Aut, ſi fata jubent, poſt ſæcula ſera, *NEPOTE*
Stet ſemper rediviva *NOVO*, Romanicus ille
Dum ruat Imperii vaſtâ de mole Coloſſus,
Emotíque orbis procumbant cardine poſtes.

CARMEN VOTIVUM
AD SERENISSIMOS PRINCIPES CONJUGES
CAROLUM ET ELISABETHAM.

O Decus! O præſens geminorum gloria Fratrum,
  Complectens gemino nomine nomen Avi!
Nobile par! Soboles generoſâ Stirpe Leonum
  Edita! Progenies edere digna pares!
Quid nî jam geminâ ſurget Virtute Leonum
  Sera Leoninæ Spes rediviva Domûs?
Junxit quippe pares Hymenæus amore Nepotes;
  Ut novus in gemino Conjuge vivat Avus.
Hic ſocialis amor, Superûm quem fœdera firmant,
  Hæc ſunt fœcundo pacta beata thoro.
Hic ſacer eſt nexus, geminus quo nomina Conjux
  Sponſus Fratris habet, ſponſa ſororis habet.
Sunt hæc, cœleſtes inter commercia ſponſos,
  Nomina, queis ignis ſigna latentis alunt:
Sponſa ſoror: ſponſus vocitat, quis, ſponſa reponit,
  Te mihi det Fratrem? Sic vice ludit amor.
O igitur Fratrum ſacra Nomina! ſacra ſororum!
  Quæ ſocium ſponſi nomen amantis habent!
Hæc Divus partu ſacravit nomina fructus
  Germano firmans Stemmata prima thoro:
Nempe ſalutiferæ fundans primordia Stirpis,
  Dicitur Iſaaco, ſponſa Rebecca ſoror.
Te quoque Par Fratrum dicam? vel Conjugum? utrumque
  Effecit ſanguis, Conjugiíque fides.
Ergò celſa Domus Germanis nixa Columnis
  Stabis, & in cineres ſæcula nulla dabunt:
Alta Arbor, Nomen foliis inſcripta Parentum,
  Nomen ab æternâ Poſteritate feres;
Nam pluet auriferos Cœlum clementius imbres,
  Naſcetúrque novo Palmite Stirpis honos.
Aurea ſic dubiæ Stirpis numerabitur ætas
  Quando recenſitis, iſta notatur Avis.
His Palatinus votis circumſonat æther:
  Ah CAROLUM CAROLO depluat axe DEUS!
Hæc Vatis ſunt Vota: novo Stirps ultima flore
  Pullulet. Eſte leves in mea vota poli!
Denique par Cœlo latè ſpatioſa refundens
  Brachia, ſubjectum fronde tuere gregem.
Aërios tandem creſcendo ad ſidera ramos
  Infer; ut æternus Te riget amnis aquis.

AD

SERENISSIMUM

PRINCIPEM ELECTOREM,

DOMINUM, DOMINUM NOSTRUM CLEMENTISSIMUM, FUNDATOREM MUNIFICENTISSIMUM

PERORATIO.

Unde exordium duxit præſens opuſculum Celſiſſimo Nomini Tuo inſcriptum, inde & ut finem habeat; ad TE SERENISSIME, & MUNIFICENTISSIME *FUNDATOR profundiſſimâ corporis, animique inclinatione convertimur, & annuente* CLEMENTISSIMA TUA SERENITATE *paucis peroramus.*

Q*Uemadmodum à felici* Sereniſſimæ Domûs Tuæ Palatino-Neoburgicæ, *cum Domo DEi, Eccleſiâ, reconciliatione, Religioſiſſimi Majores Tui,* WOLFFGANGO WILHELMO, *zeloſiſſimo Palatinatûs Apoſtolo, duce in viam veritatis & ſalutis regreſſi, nihil curabant antiquius; quàm Religionem veterem & orthodoxam, ab Anno MDXLII. Palatinatu extorrem, Anno MDCXIV. jure poſtliminii reſtituere in ſedes priſtinas, quin & cum fœnore immittere in novas, pro DEI gloriâ reparandâ, & ſalute Populi reſtaurandâ: ita &* TUA, *Pientiſſime Princeps Elector,* SERENITAS *à glorioſo in ſolium Electorale conſcenſu ab Anno MDCCXLII. in curis usque hodie, nihil zelatur ſanctiùs, ac ſuâ illam in poſſeſſione ſtabilire, tueri imperturbatam, latiúsque propagare, pro DEI gloriâ, Populíque ſalute, majoribus indies incrementis amplificandâ. A regiâ nimirum, ſanctísque Prædeceſſorum Tuorum veſtigiis ſignatâ viâ veritatis ac ſalutis, nec unguem recedis; ſed pede generoſo, magnísque paſſibus proſequeris, haud degener tam ſanguinis & dignitatis hæres ac ſucceſſor, quàm avitæ pietatis ac virtutis Religioſiſſimus Aemulator, Nepos digniſſimus Majorum. Illi pro reparandâ DEi gloriâ, Templa condiderunt, Monaſteria, & Collegia; pro Populi ſalute reſtaurandâ, Hoſpitalia erexerunt, Gymnaſia, & Seminaria:* TUA *hâc illis in pietate nec quicquam cedit* SERENITAS*; quin &, quia non valet tempore, meritis ſaltem præire, indefeſſa allaborat; quod præſenti hoc opuſculo ad oculum demonſtravit Hiſtoria, & Muſa cum plauſu decantavit. Teſtis ex pluribus unica pro mille ſufficiat, quia omni exceptione major, & unanimi omnium ſuffragio comprobata, magnificentiſſima, quam Manhemii ſtruxiſti Baſilica, pretioſiſſimum, ad ſtuporem, Palatinatûs Palladium, quam hodie Divinæ Majeſtati conſecratam dedicâſti, fundâſti, dotâſti, ac Societati JESU, omni cum jure in perpetuum donâſti. Felix hæc donataria, minima Societas, pro dono tam pretioſo, ac verè regio, humillimas repenſura gratias, coram ſolio Tuo Electorali auſa fuit in præſentiarum ad pedes advolvi; & in aliquale ſaltem antidorum, & grati animi teſſeram, inciſam æri Baſilicæ imaginem, in Sereniſſimas manus, euchariſtico cum baſio conſignare, atque demiſſiſſimè præſentare. Affectum ſaltem famulæ Tuæ devotiſſimum, ſi non levidenſe hoc opuſculum, gratioſo dignare oculo contueri; parem namque gratiæ gratiam nullatenus potis eſt referre.*

Dignare Sereniſſime Princeps, vel noviſſimum illi in Bibliothecâ Tuâ domeſticâ locum concedere; atque horis ſubinde ſucciſivis, (utì tuo pro ſolemni, in otio non otioſo, luſtrare quot diebus

aſſoles,) vel obiter ſubinde inſpicere: Leges in compendio Baſilicæ Tuæ artificioſam ſtructuram, & œconomiam; cum ſuis ſingulatim partibus, nec non ad quaternos orbis angulos aſpectibus expreſſam: Releges, æternitate digna Majorum Tuorum Nomina, geſta heroica, maxima de Eccleſiâ merita, illuſtriſſima virtutis ac pietatis exempla: Releges antiquiſſimam, nobiliſſimámque Domûs Tuæ Palatinæ *Originem, ab ipſo Divo* CAROLO MAGNO, *decem ultra Sæcula, per tres ſupra tricenas generationes, recto ſtipite, ac ordine, ad* TE *usque, Sereniſſimámque* CONJUGEM, æquali gradu *deſcendentes, in* Arbore Genealogicâ *deductam, plurimorúmque Scriptorum teſtimoniis comprobatam: glorioſiſſimam cum ſummis, & omnibus orbis Europæi Domibus conjunctionem, & auguſti ſanguinis Communionem: myſticam cum ſacerrimis Germaniæ Eccleſiis deſponſationem: ſanctiſſimam denique cum ipſis Beatis cœli Civibus, ſexûs utriusque,* Palatinâ Tuâ à Domo *progenitis Affinitatem, ac Cognationem: verbo: Leges totius Hiſtoriæ Palatinæ ſyllogen, ac epitomen, quæ quò brevior, eò lectu accidet jucundior. Gratum proinde, acceptúmque habe* Sereniſſime Princeps, Clementiſſime Domine, Fundator Munificentiſſime *pium conatum alumnæ, ſtipendiariæ, ac famulæ tuæ, innumeris pridem titulis, hodie novo Donatariæ nomine* SERENITATI TUÆ, *& avitæ* Domui Palatino-Neoburgicæ *devinctæ atque devotiſſimæ, minimæ Societatis JESU, eámque, ùt cœpêſti, Principalibus gratiis ac favoribus proſequi clementiſſimè perge, potentiſſimáque protectione tueri; quemadmodum & ipſa non deſiſtet, pro perpetuâ* SERENITATIS TUÆ, DOMUSQUE PALATINÆ *incolumitate, ac felicitate ardentibus ad Deum Optimum Maximum, bonorum omnium Remuneratorem, perpetuis & precibus, & Euchariſticis ad Aram incruentam hoſtiis, Divinam ejus Clementiam exorare; dum poſt diuturnum, & glorioſum in terris Regimen, felici ad Cœlitum Palatinorum chorum tranſitu, Sanctis Tuis Majoribus ſociabere Nepos digniſſimus in cœlis, promeritam magnis tot meritis mercedem recepturus, immarceſcibilem æternæ gloriæ coronam.*

ITA VOVET

SERENITATI TUÆ ELECTORALI

Devotiſſima, & minima

Societas JESU Manhemii.

1517-733